SEBASTIANI NIEMANNI,

SS. Th. D. P. P. & Superint.

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

MIRACULIS,

Utrum ex illis doctrinæ vel Ecclesiæ Pontificiæ veritas probari possit.

Pro supremo in Theologia gradu consequendo

Anno CIƆ IƆC LV.

habita

Nunc verò nonnihil aucta & recusa.



JENÆ,

Impensis JOHANNIS BIELKII,

CIƆ IƆC LXX.



DE MIRACULIS, UTRUM EX ILLIS DOCTRINÆ VEL ECCLESIÆ PONTIFICIÆ VERITAS PROBARI POSSIT.

THES. I.

INter alia multa, quibus Pontificii veritatem doctrinæ & Ecclesiæ suæ demonstrare conantur, non postremum locum obtinent Miracula, quæ magno numero in sua, nulla vero in nostra Ecclesia fieri jactitant, & inde suam Ecclesiam ac doctrinam veram, nostram autem falsam esse satis audacter inferunt. *Statuendum est*, inquit Adamus Conzenius *Comment. in cap. XXIV. Matth. v 24 quæst.* 2. §. 1. *illam veram Ecclesiam non esse, in quâ nulla eduntur miracula.* Et paulò pòst: *Catholici divinam cum bonitate potentiam & cum severitate justitiam conjunctam laudant, quod Ecclesiæ Catholicæ ministris dederit potestatem miraculis doctrinam consignandi, hæretici negarit. Apud Catholicos est individua signorum & doctrinæ conjunctio, apud eos falsa doctrina, nulla signa. Ideò nulla auctoritas doctrinæ, nulla reverentia ministris, quia nullum est veritatis sigillum.* Similia habet *Comm in cap. XIV. Joh. v.12. q.1. §.3. & v.13. 14 q. 1. § 2.* Ante eum Jesuita Maldonatus *Comm. in cap. VII. Matth. v.* 22. cùm necessariam dixisset illam consequentiam, quâ concluditur, *in qua miracula nulla fiant, eam veram Ecclesiam esse non posse, quia scimus, Christum Ecclesiæ suæ potestatem ad facienda miracula dedisse*, addit: *Itaque rectè hinc probare possumus, Lu-*

 the-

the[...]an[...]rum & cæteras eorum, qui hodie regnant, hæreticorum congregationes non veras Ecclesias, sed synagogas esse Satanæ, quia in nullâ earum ullum unquam miraculû visum est. Perinde Cardinalis Baronius *Tom. I. An. ad an. Chr. 34. n. 213. Miracula* inquit, *sunt signa quædam firmiter inhærentia veræ Christi Ecclesiæ, quibus eadem ab hæreticorum conventibus, Satanæ synagogis, distinguitur.* Qui plura ejusmodi Pontificiorum effata & argumenta videre cupit, is adeat Bell. *Tom. II. Contr. l. IV. cap.* 14 Becan. *Manual. Contr. lib.* 1. *cap.* 3. *n.* 68. Tanner. *Tom. III Theol. Schol. disp. I. de fide q. 3. dub. 4. n.* 216. Keller. *Tom. I.* Cathol. Pabsttumbs. *art. II c.* 2. §. 26. Valer. Magnum *lib. VIII. de Catholicorum Reg. cred. c.* 2. 19. 35 & alios.

II. Sanè Valerianus, quem ultimo loco nominavimus, huic argumento à miraculis desumpto tantum tribuit, ut illud *datum jugiter de cælo* dicat, *adversum quod nulla altitudo intellectus, nulla humana potentia, nec portæ inferi prævalere possunt.* Quantum vero illi roboris insit, in præsentiâ considerare lubet. Priusquam vero eò descendamus, non abs re erit quædam de miraculis in genere, quantum instituti nostri ratio patitur, præmittere.

III. Dicuntur *Miracula* à *mirando*, quia spectatores insolitâ novitate suâ in admirationem rapiunt: *Sunt enim maxime mirabilia, quæ maxime insperata,* ut ait Plinius junior *lib. IX Epist.* [..]o. Sic Principes Sacerdotum & Scribæ, cum cæcos ac claudos à Christo in templo sanari vidissent, τὰ θαυμάσια *mirabilia* sive *miranda* vidisse dicuntur *Matth. XXI, 15.* Quæ alio nomine nunc τέρατα, nunc σημεῖα, nunc ἔργα, nunc δυνάμεις, nunc δυνάμεις σημείων καὶ τεράτων passim in N. T. vocantur.

IV. Non uno autem modo *miraculi* vox usurpatur. 1. enim miracula appellari amant insolita quædam & admiranda tam artis quàm naturæ opera. Ita *septem mundi miracula*

dicuntur Plinio *lib.XXXVI.Nat.Hist.cap.5.* quæ non nisi celeberrimorum artificum rara & eximia opera erant: & Valerius Max.*l.1.dictorum factorumq; memor.cap.8.* miraculis annumerat, quòd Prusiæ Regis Bithyniæ Filius pro superiori ordine dentium unum os æqualiter extentum habuit, & quòd Dripetine Mithridatis filia duplici ordine dentium deformis fuit, quæ tamen Valerius ipse pro *ludibriis* tantùm *naturæ* habet. 2. Miracula dici consueverunt opera insolita, quæ Angeli aut homines sive boni sive mali vel per applicationem agentium naturalium ad passiva modo occulto nobisq; incognito verè producunt, vel præstigiis nos fallendo producere videntur. Et hæc Thomæ audiunt *miracula quoad nos part.I q.110.art.4 ad.2*, aliis verò Scholasticis *mirabilia*, quo sensu Augustinus *l.X.confess.c.35 inspectaculis miracula exhiberi* dicit. Denique 3. Thomas *d. l.* docet, *ex hoc dici aliquid miraculum* propriè & simpliciter, *quòd fiat præter ordinem totius naturæ creatæ.*

V. Miracula ergò propriè & strictè sic dicta erunt opera insolita, quæ præter totius naturæ ordinem fiunt, & proinde non nisi à DEO produci possunt. *Nam quicquid facit Angelus vel quæcunque alia creatura propria virtute, hoc fit secundùm ordinem naturæ creatæ, & sic* propriè loquendo *non est miraculum*, inquit Thomas *cit.q.110.art.4.*

VI. Potest autem aliquid, docente eodem *part.I.q.105. a.8* & *l.III.contra gentes c.101.* præter naturæ ordinem fieri tripliciter. I. *secundùm se & quantum ad substantiam facti*, ut si duo corpora sint simul in eodem loco, aut si sol retrocedat. II. non quidem secundùm se, sed *ratione subjecti*, seu, ut Thomas loquitur, *non quantum ad id quod fit, sed quantum ad id in quo fit*, ut cum mortuus vitâ & cæcus visu donatur: licet enim vita & visus secundùm se naturalis ordinis sint, & alias per naturam producantur, in mortuo tamen

vitam, & in cœco visum producere excedit universæ naturæ creatæ ordinem. III. deniq; quædam fieri dicuntur præter ordinem naturæ, non quòd simpliciter & secundùm se, vel etiam in illo subjecto, in quo fiunt, per naturam produci nequeant; sed quòd productionis *modus* naturæ ordinem & vires excedat, sicut v. g. ab ægrotante morbum depelli nec secundùm se nec ratione subjecti excedit naturæ ordinem; verùm in momento absque ullis adhibitis remediis v. g. paralyticum solo verbo à paralysi *Matth. IX, 6. 7.* febricitantem solo manus attactu à febri liberari *cap. IIX. 15.* id verò præter naturam & miraculum est.

VII. Et in hoc Pontificii hodiè cum Thomâ consentiunt, atque pro miraculis agnoscunt, quæcunque tali aliquo modo naturæ ordinem excedunt; Quæ verò secus sese habent, ex miraculorum propriè dictorum censu excludunt omnia. Unde in sequentibus eodem sensu *miraculi* voce utemur.

IIX. Ante omnia autem probè dispiciendum erit, quantum Pontificii miraculis tribuant in probanda veritate Ecclesiæ aut doctrinæ suæ, ne alienam sibi mentem affingi jure conqueri possint.

IX. Bellarminus miracula refert inter notas veræ Ecclesiæ, quæ eam discernunt ab omni falsa religione Paganorum, Judæorum & hæreticorum. Harum enim cùm quindecim recenseat, inter illas undecimam notam facit gloriam miraculorum, uti videre est *Tom. II. Controv. lib. IV. c. 14.* Monuerat verò præcedente *cap. 3.* cùm de notis Ecclesiæ ex sua mente agere inciperet, notas hasce non quidem efficere evidenter verum, Ecclesiam Pontificiam esse veram Ecclesiam, attamen efficere id evidenter credibile. Vocat autem id *evidenter verum*, quod vel in se vel in suis principiis videtur. v. g. Si Judex videat hominem à latrone occidi, vel

lethi-

lethaliter vulnerari & posteà mori, dicitur habere evidentiam veritatis, quod iste latro sit homicida. Contrà *evidenter credibile* dicit, quod non videtur, nec in se, nec in suis principiis, habet tamen tot ac tanta testimonia, ut quilibet vir prudens meritò id credere debeat. e. g. Si judex cædem fieri ipse non videat, sed habeat viginti testes viros gravissimos, qui affirmant se vidisse, dicitur habere evidentiam credibilitatis, quia, si prudenter agere velit, propter tot ac tam gravia testimonia meritò credere debet, hominem à latrone fuisse occisum, etiamsi ipse oculis suis id non viderit.

X. Secundùm Bellarminum itaque, ut cæteræ ab ipso enumeratæ notæ, ita etiam miracula non faciunt evidentiam veritatis, sed tantùm evidentiam credibilitatis, seu, quod idem est, sunt tam gravia & fide digna testimonia ac signa, ut, qui ea videt, si prudenter agere velit, meritò credere debeat, eam Ecclesiam esse veram, in qua miracula fiunt. Addit autem Bellarminus, apud eos, qui admittunt Scripturas divinas, illa facere etiam evidentiam veritatis, non quidem absolutè sed ex hypothesi, supposità scilicet veritate Scripturarum: quod enim ex Scripturis evidenter deducitur, id esse evidenter verum suppositis Scripturis. Mens ejus, si quidem illam rectè assequutus sum, est: admissà Scriptura, tanquam principio, ex quo probari debeat Ecclesiæ veritas, miracula, quæ in aliqua Ecclesia fiunt (perinde ut reliquas notas) etiam evidenter verum efficere, istam Ecclesiam esse veram, quia scil. Scriptura asserit, eam Ecclesiam, in qua vigent miracula, esse veram Ecclesiam. Videatur ipse Bellarminus *l. c. cap. 3. & 14.*

XI. Idem quoad rem cum Bellarmino sentit Suarez *de tripl. virt. Theol. disp. II. de fide.* Docuerat enim *sect. 2.* ad sufficientem objecti fidei propositionem non satis esse,

objectum utcunque proponi tanquam dictum sive revelatum à Deo, sed necessarium esse, ita proponi, ut prudenter & evidenter fiat credibile, tanquam dictum à Deo, imò etiam, ut fiat evidenter credibilius quocunque alio objecto sive doctrinâ sibi repugnante; nec hoc solum, sed & requiri evidentiam, quòd secundùm rationem naturalem tale objectum sit credendum, & talis fides sit præferenda cuicunque opinioni contrariæ. Postquam verò hæc ita, ut diximus, tradiderat, *seq. sect.* 3. ostendere conatur, totum hoc perfectissimè inveniri in fide Catholica, i. e. Romanæ Ecclesiæ, & in hanc rem tria principalia motiva hujus credibilitatis affert, quorum tertium constituunt miracula, quæ non solum in principio Ecclesiæ facta esse, sed ad sua quoque tempora perdurare, ab hæreticis verò nulla fieri asserit. Unde tandem colligit *sect. IV. n. 15. hæreticorum doctrinam non esse divinam, evidens verò esse, non solùm Romanam fidem esse credibiliorem, sed etiam solam illam esse credibilem.*

XII. Ex eo autem, quòd vera fides & doctrina dicto modo potest fieri evidenter credibilis, infrà *disp. IX. sect. 9. n.* 3. idem Suarez probat, fieri posse evidenter credibile, quænam hominum congregatio sit vera Christi Ecclesia. *Supponendum est*, inquit, *illam esse veram Christi Ecclesiam, quæ veram Christi doctrinam integre & sine errore credit ac prædicat; fieri autem potest evidenter credibile, quæ sit vera fides & doctrina, ut supra ostensum est disput. 4. sect. tota 3. praetereaq; evidenter constare, quænam congregatio illam doctrinam profiteatur & credat, hoc enim ad sensum constare potest. Est siquidem non solùm evidenter credibile, sed vere etiam evidenter verum, ab ea congregatione vere teneri doctrinam illam, quam exterius omnia membra oris confessione, & Dei cultu & obedientia profitentur.* Et paulò

lò pòst *n. 4.* ex eodem fundamento probare vult, evidenter credibile, ac, positis nonnullis fidei principiis, evidenter verum esse, hanc congregationem, quæ tempore Suarezii sub obedientia Gregorii XIV. in fide Christi & Petri, ut loquitur Suarez, existebat, esse veram Ecclesiam. *Est enim [illegible],* ait, *mihi certa, quæ sufficienter probari posset illis signis veræ doctrinæ & fidei, quæ supra adducta sunt:* (intelligit autem illa motiva credibilitatis, quorum *th. præced.* mentio facta est) *patebit enim evidenter legenti illa signa solum reperiri in ea doctrina, quam Ecclesia Romana profitetur* (quod infrà *n. 9.* in specie de dono miraculorum affirmat) *Unde eadem evidentiâ concluditur, hanc esse veram Ecclesiam.* Hæc Suarez, cujus ut & Bellarmini vestigia hac in parte premunt Tanner. *Tom. III. Th. Schol. disput. 1. quæst. 3. dub. 4. n. 2[illegible]. seqq.* Becan. *Theol. Schol. part. II. Tom poster. cap. [illegible] n. [illegible] & 4* & *Tom. I. opusc. de circ. Calvin. num.* 27. Speculum Brandenb. *part. III. cap. 9. §. 1.* Walenburchii *Metuo IV. cap. 10.* Henr. Wangnereck *in Anti-Dorscheo part. I. cap. [illegible]* & alii.

XIII. Cum vero evidentia *triplex* statui soleat, *moralis, physica* & *metaphysica*, docente Petro Hurt. de Mendoza *disput. III. de Anima sect. 3.* sciendum, Pontificios illam evidentiam credibilitatis, quam motiva, inter quæ & miracula numerant, parere dicuntur, habere quidem pro evidentia morali, uti constat ex Mendoza *l. c. §. 9.* & Wangnereckio *p. [illegible] § 9. n. [illegible]* non tamen pro *mere humana, sed superiori & perfectiori* [illegible] quæ tali, *quæ non minus, imo magis infallibilis & evidens sit, quam illa evidentia divinitatis, quæ ex creaturis [illegible] conspicitur, & gentiles, qui Deum unum & verum [illegible] sunt, reddit inexcusabiles;* imò quæ tanta sit, ut, qui motivis hisce inducti credunt id, ad quod credendum motiva proposita fuerunt, confidenter ad DEum di-

cere

cere possint cum Richardo de S. Victore *lib. 1. de Trin. cap. 2. Si error est, quem credimus, à te decepti sumus: iis enim signis doctrina hac confirmata est, quæ, nisi à te, fieri non potuerunt*, ut videre licet apud Suar. *disput. IV. de fide sect. 3. num. 12.* & *sect. 5. num. 2.* Wangnereckium *in Anti-Dorscheo part. I. cap. 1. §. 2. num. 10. §. 8. num. 27. §. 9. num. 29. & cap. 2. §. 1. num. 43.* Unde Wangnereckius *part. I. § 9. n. 30.* ait, *qualiacunque motiva ad persuadendam fidei credibilitatem proponantur, debere hic & nunc in ordine ad hominem esse talia, quæ omnem dubitationem tollant, eique persuadeant, esse infallibiliter sive evidenter credibile, quod ea, quæ sic proponuntur vel confirmantur, sint à Deo revelata, adeòque se teneri illis assentiri propter divinam revelationem sibi evidenter factam credibilem.* In quo ducis sui Suaresii vestigia sequitur, qui itidem *cit. disp. sect. 2. num. 7.* ex Thomâ docuerat, *factâ sufficiente propositione objecti fidei, ipsam rationem naturalem ostendere, talia credibilia esse credenda, & consequenter infidelitatem positivam remotè & quasi radicaliter esse contrà rationem naturalem dictantem credendum esse, quod Deus dixit, & credendum esse dici à Deo, id quod nomine & virtute ejus sufficienter proponitur.*

XIV. Ex hisce igitur haut difficulter intelligitur, quid in hac controversia sibi velint Pontificii. Nempe, ut duplex ex eorum mente datur evidentia, *rei* scilicet & *credibilitatis*, ita assertionem de veritate Ecclesiæ suæ utramque hanc evidentiam ex miraculis sortiri statuunt, & quidem *evidentiam rei* respectu illorum, qui divinam Scripturæ Sacræ autoritatem admittunt, *evidentiam* verò *credibilitatis*, respectu illorum quoque, qui Scripturam S. pro verbo Dei non agnoscunt: seu, quod eòdem recidit, volunt ex miraculis probare, assertionem hanc, quod Pontificia Ecclesia vera Ecclesia sit, esse evidenter veram iis, qui Scripturam admit-

tunt;

tam; evidenter credibilem autem illis etiam, qui Scripturæ autoritatem rejiciunt.

XV. Cæterum, ut clarius constet, quid de hac Pontificiorum sententia judicandum sit, notari debet, illos rationem & vim probandi, quam miraculis in præsenti negotio tribuunt, ab ipsa eorum natura accersere. Sunt enim miracula, ut ante dictum, opera insolita, quæ totius naturæ creatæ vires excedunt, adeòque à solo DEO fieri possunt, secundum illud *Ps. LXXII. 18. Benedictus Dominus Deus, Deus Israel, qui facit mirabilia solus, ὁ ποιῶν θαυμάσια μόνος*, ut vertunt LXX. *Quare quod miraculo confirmatur, Dei testimonio confirmatur, Deus autem non potest esse testis mendacii, igitur quod miraculo confirmatur, verum sit necesse est*, verba sunt Bellarmini *Tom. II. Contr. lib. IV. cap. 14.* Quò pertinet illud Scoti *in III. sent. dist. 23. Dictat naturaliter ratio, quod Deus non adsistit falsitati alicujus operando miracula ad falsa alicujus prædicata vel dicta.* Et hoc ceu unico fundamento rationem suam à miraculis petitam inniti asserunt Conzenius *Comm. in cap. V. Joh. v. 36.* & Spec. Brandenb. *part III. c. 9* §. I

XVI. Quòd si verò ratio probandi à miraculis petita ad præsentem quæstionem de Ecclesia Pontificia, an vera Ecclesia sit, accommodari debeat, necesse est, ut medium cum extremis quæstionis in legitima figura & modo connectatur & talis proveniat Syllogismus:

In qua Ecclesia fiunt miracula strictè & propriè sic dicta, illa est vera Christi Ecclesia.

Atqui in Ecclesia Pontificia fiunt miracula strictè & propriè sic dicta.

E. Ecclesia Pontificia est vera Christi Ecclesia.

Hanc conclusionem volunt Adversarii vi præmissarum esse

evidenter veram illis, qui Scripturam pro DEI verbo & infallibili fidei principio agnoscunt, evidenter autem credibilem etiam iis, qui Scripturam non admittunt. De utroque nunc nobis agendum erit.

XVII. Cumprimis autem hic advertendum est, quòd, ut alias semper, ita & in proposito argumento, evidentia conclusionis dependeat ab evidentia connexionis extremorum cum medio, seu, quod idem est, ab evidentia præmissarum, ita, ut quanta hæc est, tanta etiam illa sit. Si igitur conclusio dicti argumenti vi præmissarum debet esse vel evidenter vera, vel evidenter credibilis, necesse erit, ut utraque etiam præmissarum talis sit, nempe evidenter vera, si conclusio evidenter vera; evidenter credibilis autem, si conclusio evidenter credibilis esse debeat. Nam si alterutra earum hâc evidentiâ destituatur, nec conclusio evidens esse poterit: hæc enim in ratione evidentiæ etiam sequitur partem debiliorem; debilior autem pars inter præmissas dicitur, quæ inevidens est, ut et ipsismet adversariis in re simili rectè docent Suarez *disp. VI. de fide sect. 4. num. 6.* & Walenburchii Fratres *in Methodo Augustin. part. II. cap. 4. n. 186. & 189.*

XIIX. Quæ si ad Pontificiorum argumentum suprà *th. XVI.* propositum applicentur, in propatulo erit, quid de eo sit sentiendum. Nimirum utut majoris propositionis evidentiam in dubium vocare nolimus, minorem tamen tantum abest ut evidenter credibilem, & suppositâ Scripturæ autoritate evidenter veram esse hactenus evicerint Adversarii, ut potius omni probatione solidâ destituti nobis persuasissimum fecerint, eam nec credibilem esse nec veram. Quod cuivis facilè patebit, qui rem paulò diligentius secum perpenderit.

XIX.

XIX. Duo autem circà dictam minorem veniunt in quæstionem, quæ Pontificiis probanda incumbunt. *Unum:* an opera ista, quæ pro miraculis venditantur, verè facta sint aut fiant in Papatu? *Alterum:* an propriè & strictè sic dicta miracula sint?

XX. *Prior* est quæstio facti, ut loquuntur, quâ quæritur, an quæ in Pontificia Ecclesia facta narrantur mirabilia, reverà ita facta sint, prout vel olim facta, vel hodiè fieri memorantur? cujus affirmativam nobis evidenter probare non possunt Adversarii, nisi nostro in conspectu talia opera faciant, nobisque permittant, ut singulas eorum circumstantias attentè exploremus & ponderemus, sicut Christum fecisse legimus, cum v. g. in medio Judæorum Lazarum jam τεταρταῖον in vitam revocaret, aut paralyticum sanaret, aliave plura miracula ederet. Et ratio hujus rei est in promptu. Nam singularium factorum demonstratio nulla datur nisi ad sensum, nec potest eorum evidens cognitio aliter haberi, quàm cum sensibus objiciuntur. Hoc itaque si præstiterint Pontificii & ad sensum manifestum fecerint, sua, quæ jactitant, miracula non esse conficta, sed verè fieri, tunc ad alteram quæstionem erit progrediendum & altiùs expendendum, an propriè dicta miracula sint? & ubi de hoc quoque evidenter constiterit, fatebimur, quod olim de miraculo à Petro & Johanne facto nolentes volentes fateri cogebantur Principes & Seniores Hierosolymitani dicentes; *Conspicuum signum editum esse per eos, omnibus* nobis *manifestum est, nec possumus infitiari. Act. IV, 16* Illo verò probandi genere, quod omnium foret efficacissimum, ut uterentur Adversarii, hactenus adduci non potuerunt, sed loco ejus vel miracula in Indiis ipsâque adeò Japoniâ facta an ficta dicam? crepare malunt, antiqui istius: *Hic Rhodus, hic*

saltus, parùm memores; vel, si in locis nobis vicinioribus quaedam ostendunt, circà quae miracula facta perhibentur, v.g. hostias in carnem mutatas, demortuorum Sanctorum incorrupta corpora & id genus alia, ea in abditis sive tumbis sive capsulis reposita habent, à quibus profanum scilicet! vulgus arcent, neminique copiam ea contrectandi aut accuratiùs perscrutandi faciunt: An quia miraculis suis, ut alias *majestati, majorem è longinquo reverentiam* fore sperant? an verò, quia hoc mantello fraudes & mendacia sua, ne perpluant, probè tecta & occultata esse existimant? Ita est profectò: *Doli enim non doli sunt, nisi astu colas, sed malum maximum, si id palam provenit*, ut ille apud Plautum ait *Capt. Act. II. sc. 1.* Palam autem proventuras plurimas fraudes & fallacias, si nova ista circumferendi artificia propius intueri & rimari nobis liceret, nullus dubito.

XXI. Neque est, quod dicant Adversarii, tametsi evidentiam facti in quaestione de miraculis non possint absolutè probare, ex hypothesi tamen & supposita Scripturae autoritate sese eam evincere velle. Nam de eo, an nunc fiant opera illa, quae in Papatu fieri dicuntur & pro miraculis venditantur, in Scripturâ S. οὐδὲ γρῦ extat, nec apparet, quâ consequentiae lege affirmantis partis evidentiam exinde sint monstraturi. Manet ergo minor, quantum ad hoc, non solùm absolutè & simpliciter, sed etiam nobis Scripturae autoritatem admittentibus inevidens, quamdiu nostro in conspectu Adversarii nulla edunt miracula.

XXII. Videamus porrò anne *evidentiam credibilitatis* ita evincere possint, ut *cuilibet viro prudenti*, si vel maximè Scripturam non admittat, fiat *evidenter credibile*, in Ecclesia Pontificia illa miracula facta esse vel etiamnum fieri.

XXIII. Hanc evidentiam cum evincere conantur, re-

cur-

currunt ad testimonium humanum. Proferunt enim Scriptores oppidò multos, qui ea, ad quæ provocant, miracula in Pontificia Ecclesia facta esse testantur, eorumq; testimonia existimant sufficientia esse ad evidentiam hanc credibilitatis efficiendam, perinde ac viginti hominum fide dignorum testimonia sufficiunt judici, ut ipsi fiat evidenter credibile, Amasam v. g. a Joabo fuisse interfectum. Si quis verò testium illorum fidem suspectam habere velit, actum esse clamitant de omni certitudine rerum gestarum, quam ex probatorum Historicorum monumentis habemus, eâdemque imo majori facilitate in dubium vocari aut negari posse, unquam in rerum naturâ fuisse Ciceronem vel Pompejum: quemadmodum enim hoc nititur autoritate Historicorum Ethnicorum, ita miraculorum suorum veritatem autoritate & testimonio Scriptorum Ecclesiasticorum niti asserunt. Videatur Spec. Brand *part. III. c. 9.* §. 2.

XXIV. Equidem diffiteri nolim, argumento à testimonio probatorum Autorum petito multum tribuendum, neque temerè eorum fidem in dubium vocandam esse; hisce tamen Scriptoribus, quos testes adducunt Pontificii, quo minus vir prudens fidem adhibere possit, multa obstant.

XXV. Et 1. quidem, quòd testes, quorum autoritate sua miracula fulciunt, vel insulsi monachi aut sacrificuli fuerunt, qui se sive lucri sive superstitionis in rudi popello augendæ e monstroso suo cerebello tot miraculorum monstra confinxerunt, vel si qui viri docti fuerunt, ingenio ad idolomaniam papalem stabiliendam abusi sunt, falsò persuasi, se gratum Deo obsequium facturos, si piis, quas vocant, fraudibus devotionem in simplici plebecula excitare, aut Ecclesiæ religionique suæ autoritatem conciliare studerent.

XXVI. In hanc autem ſuſpicionem, quam forſan præter cauſam nos fovere quis regeret, meritò nos adducunt craſſa nimis &propudioſa commenta ab autoribus iſtis in miraculorum catalogum tàm impudenter relata, ut ipſismet emunctioris naris Pontificiis fidem ſuam dudum ſuſpectam reddiderint. *Noſtri plerique*, inquit Melchior Canus Canarienſis Epiſcopus *Lib. XI. LL. Theol. cap. 6. in deſcribendis ſanctorum vitis vel affectibus inſerviunt, vel de induſtriâ quoque ita multa confingunt, ut eorum me nimirum non ſolum pudeat, ſed etiam tædeat. — Certum eſt autem, totam eorum narrationem inventam eſſe, aut ad quæſtum, aut ad errorem, quorum alterum fœdum eſt, alterum pernicioſum.* Et aliquantò poſt: *Eccleſiæ Chriſti hi vehementer incommodant, qui res Divorum præclarè geſtas non ſe putant egregie expoſituros, niſi eas fictis & revelationibus & miraculis adornarint.* Ante eum Marſilius Ficinus *lib. de relig. Chriſt. cap. 10* eorundem hominum meminerat, eosque *admodum deteſtabiles* dixerat, *qui imitatione verorum falſa prodigia introducunt.* Johannes Lud. Vives *lib. II de verit. fid. Chriſt.* illos *execrabiles & Satanæ ſimiles* vocat, *qui in templis Divorum fingunt miracula propter quæſtum.* Similiter Eraſmus *cenſurâ in libb. Retract. & Confeſ. D. Auguſtini. Quid iſtos memorem*, inquit, *qui fabulis impudenter vanis & confictis miraculis memoriam eorum, quibus favent, ſtudent vulgo commendare, nonnunquam ea laudantes, quæ laudatus nec fecit nec probavit? Et arbitror fuiſſe, qui pium exiſtimarint hujusmodi fucis animos ad religionis ſtudium accendere. Ego peſtilens hoc rabularum genus inter Chriſtianos ſemper ſum execratus, qui neque ſciunt veræ pietatis imaginem adumbrare, quod nemo novit niſi verè pius, quales ſi eſſent illi, nunquam talibus mendaciis fallerent diſcipulos illius, qui veritas*

eſt,

est, & hujusmodi technis hoc efficiunt, ut nec vera narrantibus habeatur fides. Eadem & aliorum querela est de futilibus hisce miraculorum fabricatoribus, quibus ut credat vir prudens, quo jure exigi possit, cùm ipsis etiam sanioribus Pontificiis illorum fides laborare videatur, equidem non percipio.

XXVII. Dicis: Licet aliqua ab autoribus istis enarrata miracula pro figmentis habuerint Viri docti, nondum tamen sequitur, omnia esse conficta, aut propter admixta commenta omnem statim fidem autoribus istis denegandam esse.

XXIIX. Respondeo. Quos semel mendacii manifestos teneo, de iis qui certus esse possum, quòd in cæteris non mentiantur? præsertim cum quæ causæ ipsos ad unum alterumve miraculum fingendum induxerunt, eædem illos impellere potuerint, ut reliqua etiam confingerent. *Hujusmodi technis hoc efficiunt ut nec vera narrantibus habeatur fides,* modo dicentem Erasmum audivimus. Manet igitur, vel hac de causa eorum autoritatem tantam non esse, ut ad evidentiam credibilitatis generandam sufficere possit.

XXIX. 1. Alii, quamvis non à se conficta, talia tamen narrant miracula, quæ nunquam sibi ipsis visa, sed ab aliis tantum audita fuerunt. Ita v. g famosum istud Pontificiorum commentum de cubiculo B. Virginis Nazarethâ in agrum Lauretanum, ubi hodièque ostenditur, per angelos miraculosè transportato, (de quo lege Baron. *Tom. I. Annal. ad an. Christi IX*) fide & autoritate Teremani Parochi Lauretani nititur, qui historiam hanc s. fabulam potius descriptam reliquit in tabula, quæ in templo Lauretano affixa & à Cl. Berneggero *in Idolo suo Lauretano Cap. I.* legen-

genda proposita est. Si quæras, unde hæc habeat Teremanus, & utrum miraculosæ hujus transportationis αὐτόπτης fuerit? Respondet ipse in modò dicta tabula: *In horum omnium fidem & testimonium mihi Præposito Teremano & gubernatori prænunciatæ Ecclesiæ, quidam duo boni Viri, hujus villæ habitatores, retulerunt ac nunciaverunt, & pluribus vicibus dixerunt. Unus vocabatur Paulus Renaldatius: & alius, Franciscus, aliàs Prior. Et dictus Paulus dixit mihi, quòd avus avi ejus vidit, quando Angeli duxerunt prædictam Ecclesiam per mare: & posuerunt illam in dictâ sylvâ: & pluribus vicibus ipse cum cæteris personis ipsam Ecclesiam in prælibatâ sylvâ visitavit. Item dictus Franciscus multoties retulit ac dixit mihi, quod avus ejus, qui erat centum viginti annorum, dixit, quòd pluribus vicibus visitavit dictam Ecclesiam in eâdem sylvâ. Et pari modo ipse Franciscus retulit atque dixit mihi per plures vices*, &c. Ad eundem modum Lipsius, licet densum miraculorum aciem instruat in Divâ suâ Hallensi & Sichemiensi, nullum tamen eorum ipse vidit, sed ex *archivis*, nescio quibus, se ea hausisse scribit *c. 6. Div. Hal.* interdum etiam ad *bonorum senum* testimonia provocasse in re tam ardua ipsi satis est. *c. 4. Div. Aspricol.* Quantum vero fidei auritis hisce testibus tribuendum sit, vel illud Comici docet: *Pluris est oculatus testis unus, quam auriti decem: Qui audiunt, audita dicunt, qui vident, plane sciunt*, & illud Salmeronis, hominis Pontificii *Tom. VI tr. 40. Constat certiorem aure arbitrum esse oculum.*

XXX. Obstat 3. quòd donum miraculorum, licet initio, cùm plantanda esset Ecclesia, necessarium fuerit ad persuadendam fidem Christianam, postea tamen, fatentibus id non solùm antiquissimis Patribus, sed & multis Pontificiis Scriptoribus, in Ecclesiâ Christianâ cessavit.

XXXI. Inter Patres Chrysostomus, qui quarto post Christum natum seculo floruit, jam suo tempore miracula desiisse disertis verbis fatetur, *Homil. IV. in Matth.* καθάπερ καὶ ἐφ' ἡμῶν ἡνίκα τῆς πλάνης ἐξῄειμεν, πολλὰ θαύματα ἐδείχθη. Μετὰ δὲ ταῦτα οὐκ ἔστι, τῆς εὐλαβείας πανταχοῦ φυτευθείσης. *Quemadmodum & inter nos*, inquit, *quando errores deseruimus, multa miracula facta sunt: deinceps verò cessarunt, verâ religione passim jam plantatâ.* Et *homil. XXIII. in Johan. Signa postulare tentantium est, tum olim tum hodiè. Sunt enim & hâc nostra ætate, qui quærant: Quare & nunc signa non fiunt?* (eo igitur tempore nulla amplius signa edebantur, aliàs enim illa quærentibus in memoriam revocasset Chrysostomus, quod non facit, sed respondet) *Si fidelis es, ut oportet, si Christum diligis, ut diligendus est, non indiges signis: signa enim incredulis dantur.* Idem *in II. ad Thess. II. serm.* 4. explicans, quid sit τὸ κατέχον, seu id quod prohibet, ne reveletur Antichristus, ait, quosdam dicere, esse Spiritus gratiam, alios verò Romanum Imperium. Et cum se posteriori sententiæ adstipulari dixisset, priorem refutat his verbis: *Nam si Spiritum voluisset dicere, utique non obscure dixisset, sed apertè: Nimirum quod & nunc ipsum detineat Spiritus gratia,* τουτέστι τὰ χαρίσματα, *hoc est donationes.* Ἄλλως δὲ ἔδει ἤδη παραγενέσθαι, εἴγε ἔμελλε τῶν χαρισμάτων ἐκλειπόντων παραγενέσθαι, καὶ γὰρ πάλαι ἐκλέλοιπεν. *Alioquin enim oportuisset eum jam venisse, siquidem Spiritus Sancti donationibus cessantibus venturus esset. Etenim jam olim cessarunt.* Ecce! Chrysostomus asserit, non suâ demum ætate, sed jam *olim* & longo ante tempore χαρίσματα Spiritus, inter quæ non infimum locum occupabat donum miraculorum, in Ecclesiâ Christi cessasse.

XXXII. E quinto seculo unus instar omnium nobis

esse potest Augustinus, cujus verba hâc de re satis clara sunt *libr. de verâ religione cap.25. Accepimus,*inquit, *majores nostros eo gradu,quo à temporalibus ad æterna conscenditur, visibilia miracula, non enim aliter poterant, secutos esse: per quos id actum est, ut necessaria non essent posteris. Cum enim Ecclesia Catholica per totum orbem diffusa atque fundata sit, nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt, ne animus semper visibilia quæreret, & eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum novitate flagravit.* Et *serm. XIIX. de verbis Domini* (quem Augustini esse facilè concedent Pontificii) *Nemo, fratres, dicat, non facere miracula modò Dominum nostrum Jesum Christum, & propter hoc præsentibus Ecclesiæ temporibus priora præponere. Quodam quippe loco ipse Dominus videntibus & ideò credentibus præponit eos, qui non vident & credunt.— Et quid Dominus illi confitenti ac dicenti, Dominus meus & DEUS meus? Quia vidisti, inquit, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt. Quos dixit, fratres, nisi nos? Non quia solos nos, sed & post nos. Post parvum enim tempus, posteaquam ab oculis mortalibus recessit, ut firmaretur fides in cordibus, quicunque crediderunt, non videntes crediderunt, & magnum meritum habuit fides eorum: cui fidei comparandæ cor tantum admoverunt pium, non & palpantem manum. Hæc ergo fecit Dominus, ut invitaret ad fidem. Hæc fides nunc fervet in Ecclesia toto orbe diffusa. Et nunc majores sanitates operatur, propter quas non est dedignatus tunc exhibere illas minores. Sicut enim animus melior est corpore: sic & melior salus animi, quàm corporis. Modo caro cæca non aperit oculos miraculo Domini, & cor cæcum aperit oculos sermone Domini. Modo non resurgit mortale cadaver, resurgit anima, quæ mortua jacebat in*

vi

vivo cadavere. Modò aures corporis surdæ non aperiuntur; sed quàm multi habent aures clausas cordis, quæ tamen verbo Dei penetrante patescunt. Hisce gemina habet *Tract. XVI. in Johan. Illi* Judæi *ambulantem Dominum Jesum in terra facientemq́ miracula, cæcos illuminantem, surdis aures aperientem, mutorum ora solventem, paralyticorum membra stringentem, super mare ambulantem, ventis imperantem & fluctibus, mortuos suscitantem, tanta signa facientem viderunt, & vix inde pauci crediderunt. Populo Dei loquor. Tam multi credidimus, quæ signa vidimus?—Judæi fuerunt vel sunt similes Galilæis, nos similes illis Samaritanis. Evangelium audivimus, Evangelio consensimus, per Evangelium in Christum credidimus, nulla signa vidimus, nulla exigimus. Quamvis etiam unus ex duodecim electis & sanctis, tamen Israelita fuit, de gente scilicet Domini, Thomas ille, qui in loca vulnerum digitos cupiebat mittere: sic eum arguit Dominus, quomodo istum regulum. Huic dixit, Nisi signa & prodigia videritis non creditis: Illi autem dixit, Quia vidisti, credidisti.* Rursus *lib. XXII. de Civ. Dei. c. 8.* ad quorundam quæstionem: *Cur nunc illa miracula, quæ prædicatis facta esse, non fiunt?* respondet: *Possem dicere, necessaria fuisse, priusquam crederet mundus, ad hoc ut crederet mundus. Quisquis adhuc prodigia ut credat inquirit, magnum est ipse prodigium, qui mundo credente non credit.* Hæc omnia Augustinus, cujus pluscula testimonia apponere placuit, quia novi mirabiliarios cumprimis illius autoritate in defendendis miraculis suis abuti, quemadmodum infrà pluribus ostendam.

XXXIII. Præcipitante seculo sexto Gregorius M. Papa *homil. XXIX.* ad eundem modum scribit: *Num quidnam fratres mei, quia ista signa* (loquitur de miraculis quæ *Marc.*

XVI, 17. 18. recenſentur) *non facitis, minimè creditis? Sed hæc neceſſaria in exordio Eccleſiæ fuerunt. Ut enim ad fidem creſceret multitudo credentium, miraculis fuerat nutrienda: quia & nos cùm arbuſta plantamus, tam diu eis aquam infundimus, quouſque ea in terra jam coaluiſſe videamus, & ſi ſemel radicem fixerint, irrigatio ceſſabit. Hinc eſt enim quod Paulus dicit: Linguæ in ſignum ſunt, non fidelibus, ſed infidelibus.* Poſt explicat, quomodo in Eccleſia quotidiè ſpiritualiter fiant, quæ olim corporaliter faciebant Apoſtoli, & tandem ita concludit: *Nolite ergò, fratres chariſſimi, amare ſigna, quæ poſſunt cum reprobis haberi communia, ſed hæc, quæ modò diximus, charitatis atque pietatis miracula amate, quæ tanto ſecuriora ſunt, quanto & occulta, & de quibus apud Dominum eò major ſit retributio, quò apud homines minor eſt gloria.* Similia habet *hom. IV.* quæ videri poterunt.

XXXIV. Ita de ſuis temporibus olim loquuti ſunt ſancti Patres. Audiamus quoque recentiores aliquos Scriptores Pontificios. Marſilius Ficinus *Vir*, teſte Bellarmino *de Script. Eccleſ. Sacræ Theologiæ non vulgariter peritus, Opuſ. de Religione Chriſt. & fides pietate cap. X.* ita ſcribit: *Arguendi mihi illi acriter videntur, qui quotidie tam pertinaciter quàm impudenter nova ad fidem Chriſti confirmandam miracula exigunt. Si enim rara ſunt, prodigia ſunt: Si frequentiſſimè fierent, vel artificioſa vel naturalia viderentur. Sufficiat nobis ſcire, mundum olim non abſque manifeſtis miraculis tàm miraculoſe tàm miraculoſa inſtituta & opera cepiſſe & pertuliſſe.* Intelligit autem Chriſti & Apoſtolorum miracula, quæ verè facta eſſe poſtquam fuſiùs probaſſet, tandem ſtomachabundus ait: *Quid igitur garrimus increduli? quid ulterius protervi efflagitamus? Num quotidiè*

Deo

(Deo magno nobiscum) sub judice lis est? Num quolibet momento tum singulis nobis, tum posteris, qui similiter quærent, Deus auctoritatem suam redimere miraculis cogitur & tanquam præstigiator aliquis mercenarius in theatrum prodire ad nutum cujusque compellitur?

XXXV. Alphonsus Salmero non obscuri nominis Jesuita *Tom. IV. Comment. Part. I. Tract. 23. Hanc edendi miracula facultatem,* inquit, *Apostolis & Viris Sanctis initio nascentis Ecclesiæ communicavit Dominus, quæ, ubi promulgatum est Evangelium toti orbi, vel remissa fuit, vel cessavit. Nec Ecclesia nostra propterea infelicior censenda est, quàm fuerit primitiva: nam cùm scribit Apostolus: Linguæ in signum sunt, non fidelibus, sed infidelibus, frequentia signorum designabat eo tempore multos infirmos & infideles: eorum verò subtractio arguit robur & constantiam fidei. Habet Ecclesia verbum Dei, simul & fructum proferentem ac docentem Spiritum Sanctum, & Sacramenta, in quibus omnia bona nostra sita sunt: & propterea non opus habemus signis.* Et *Part. II. Tract. 13. Quòd si interroges, cur hæc potestas* signa faciendi *Apostolis collata in prædicatores & Prælatos Ecclesiæ, qui vicem Apostolorum gerunt, non transierit: respondeo* 1. *Deus eam non dat nisi pro necessitate vel utilitate magna Ecclesiæ. Nunc verò ejusmodi potestas vel fides* (miraculosa) *non est necessaria, neque Ecclesiæ utilis; nam cum signa ad confirmationem fidei fiant, atque illa sit hodiè confirmata & indubitata apud omnes, miracula non essent ad utilitatem, sed ad solam curiositatem. Deinde non solum non prodessent fidei, sed illam potius infirmarent: sicut cum quis habet aliquid in judicio idoneè probatum, si rursus velit idem probare, reddit negotium suum suspectum: quod sanè prudenter non fieret. Ita stultum esset & laboriosum, rem probatam*

velle novis probationibus reddere dubiam & controversam: & ita fides dignitatem suam amitteret, & reduceretur ad eum statum, in quo erat, cùm nondum confirmata esset. Quòd si apud aliquam gentem novis signis confirmaretur fides, idem oporteret apud omnes homines fieri, quia illi, apud quos non confirmaretur, justè dubitarent, & ita rursus per totum orbem edenda signa nova essent, ut stabiliretur fides, quod periculosum esset & laboriosum, cum sine his fides sit radicatissima, & quod radices jam egit, stultum esset eradicare, ut iterum plantaretur. Ad hæc fidei meritum per signa minueretur: constat enim majorem esse fidem ejus, qui non visis signis crederet. Pluribus hanc rem persequitur idem Salmero *Tom. VI. Tract. 3.* ubi inter alia eleganti similitudine rem explicat: *Sunt*, inquit, *in Ecclesiastico ædificio miracula fulcra quædam lignea, quæ, dum construebant Apostoli, molli & tenero operi erigendo necessaria erant; posteà verò ædificio confirmato diruta sunt, cum nulla sit eorum necessitas: sicut peracto ædificio corporali, ligna & trabes, quæ operi extruendo supponebantur, tolluntur.* Qui aliorum etiam Pontificiorum testimonia audire vult, evolvat B. Gerhardi *Confess. Cath. l. II. Spec. part. I. art. V. cap. 4. p. 1243. seqq.*

XXXVI. Hæc verò cum ita sese habeant, vel ipsi Adversarii, opinor, intelligent, non præter causam miracula, quæ in sola Ecclesia sua tanto numero fieri dicunt, cuilibet viro prudenti suspecta, fidemque ea narrantium sublestam videri posse.

XXXVII. Accedit 4 quòd nobis ex Scripturis constet, novissimis hisce temporibus exorituros esse Doctores mendaces, qui *signis & prodigiis mendacibus in errorem seducturi sint, si fieri possit, etiam electos. Matth XXIV, 24. II. Thess. II. 9.* Non injuriâ ergò veremur, ne & Papalium miraculorum

rum præcones ex istorum Pseudodoctorum numero sint, qui spuria pro veris miraculis nobis obtrudere conentur, rectèque facimus, quòd tardam vel nullam potiùs fidem illis adhibemus, memores illius Augustini *Tract. XIII. in Johan. Contrà mirabiliarios hosce cautos nos fecit Deus noster, dicens: In novissimis diebus exsurgent Pseudoprophetæ, facientes signa & portenta, ut in errorem inducant, si fieri posset, etiam electos: Ecce prædixi vobis.*

XXXIIX. Denique 5. haut negligendum videtur, quòd Scriptores isti Pontificii plurima suorum miraculorum ajunt facta esse in confirmationem eorum dogmatum, quorum falsitas è Scripturis manifestè ostendi potest. Cùm autem vera miracula in confirmationem falsorum dogmatum fieri nequeant, ceu uno ore Doctores Pontificii fatentur, relinquitur, aut non facta esse miranda, quæ deprædicant, opera, aut si quæ facta fuerint, non vera fuisse miracula.

XXXIX. Ex hisce nunc liquidò constare arbitror, fidem & autoritatem eorum, quos testes miraculorum suorum laudant Pontificii, non esse tantam, quanta requiritur, ut cuilibet viro prudenti evidenter credibile fiat, in Pontificia Ecclesia facta esse, quæ circumferuntur, miracula. Nam si vir prudens ea, quæ ad minuendam testium illorum fidem hactenus adducta sunt, probè ponderet, tantum abest, ut propter eorum testimonia id, quod diximus, evidenter credibile esse judicet, ut potiùs contrarium judicaturus sit, imprudenter scilicet se facturum, si eis fidem habere velit.

XL. Sed plus satis de *priori*, quod circà minorem argumenti principalis *th. VI.* prolati Pontificius probandum incumbere diximus. In eo verò probando cùm frustra, ut vidi-

vidimus, hactenus desudârint, causæ nihil esset, cur de *posteriori* magnoperè simus solliciti, an scilicet opera ista, de quibus in minore sermo est, propriè dicta miracula sint? Quæstio enim hæc præsupponit, opera illa non conficta, sed verè facta esse, & etiamnum fieri, quod tamen nondum probatum est.

XLI. Interim quia in Scripturis, ut paullò ante monuimus, prædictum est, ultimis temporibus Pseudoprophetas errونea sua dogmata signis & prodigiis magnis confirmaturos esse, nec rationes desunt, propter quas Papalium miraculorum buccinatores ex illorum numero esse credamus, vero haut absimile videri potest, non omnia, quæ ab illis narrantur, esse figmenta, quamvis plurima conficta esse saniores Pontificii, quorum aliquos supra loquentes audivimus, non inviti largiantur.

XLII. Demus igitur, quædam eorum, quæ narrant, facta esse quoad externam speciem & apparentiam, *nondum tamen evidens est, ea fuisse miracula vera: sæpe enim virtute dæmonis fiunt similia prodigia, quæ vix possunt humano modo discerni à veris miraculis, ut constat ex his, quæ operabantur magi in Ægypto Exodi 7. Item ex his, quæ Antichristus operabitur, quæ talia erunt, ut, (si fieri potest) per ea inducantur in errorem etiam electi, ut dicitur Matth. 24. & colligitur ex Apocal.* 13. rectè dicimus cum Suarezio *Disput. IV. de fide sect. 3. num. 9.*

XLIII. Hanc igitur difficultatem, quam Suarez ipse dicto loco ita appellat, si tollere velint, necesse est, ut evidenter credibile, & suppositâ Scripturæ autoritate evidenter verum esse probent, quòd opera miranda, quæ in Ecclesia sua fieri narrant, vera & propriè dicta miracula sint: quamdiu enim hoc non præstant, nemini evidenter credibile,

bile, aut ſuppoſitâ Scripturæ autoritate evidenter verum reddetur, Eccleſiam Pontificiam eſſe veram Eccleſiam, ut in præcedentibus jam tum indigitavimus. Utrumque verò facere tentant: quo ſucceſſu paucis conſiderabimus.

XLIV. Et 1. quidem, cùm in eo occupantur, ut nobis Scripturam S. admittentibus id ipſum evidenter probent, facilè vident, Scripturas fruſtrà hic in ſubſidium vocari. Hæ enim de miraculis Papalibus nihil commemorant, niſi quæ *II. Theſ. II, 9. Apoc XIII, 13, 14.* & in aliis ſimilibus locis legimus; Ea verò talia ſunt, ut jugulum potiùs cauſæ Adverſariorum petant, quàm eam juvent: manifeſtè namque indicant, miracula iſta non vera miracula, ſed Satanæ opera & præſtigias eſſe. Aliâ itaque viâ rem aggrediuntur, & ad certa quædam indicia confugiunt, quibus vera miracula à falſis diſcerni ſuorumque miraculorum veritatem validè probari poſſe autumant. Bened. Pererius *lib. I. de magia cap. 8.* talia indicia recenſet quinque. 1. *Dignitatem virtutis efficientis.* 2. *Qualitatem eorum qui faciunt.* 3. *Diverſitatem factorum.* 4. *Modum faciendi* & 5. *Finem cujus gratiâ fiunt.* Suarez verò *l.c.* circumſtantias, ex quibus vera miracula à falſis dignoſcenda eſſe docet, hoc ordine enumerat. 1. dicit conſiderari debere *diuturnitatem effectuum & perſeverantiam, qua eſt magnum indicium veritatis.* 2. *Effectus, per quos talis veritas manifeſtatur.* 3. *Multitudinem & frequentiam talium effectuum, cum omnibus ſignis & indiciis veritatis, qua eſſe ſolent in omnibus rebus, quas præ manibus gerimus.* 4. *Multiplicem modum mirabilem operandi talia ſigna.* Denique 5. *Finem talium operum.*

XLV. Quanquam verò non ſimpliciter negamus, in miraculis quandoque ſingularia dari indicia, ex quibus cer-

tò cognoſci poſſit, quòd vera miracula ſint, illa tamen indicia evidentem notitiam gignere non poſſunt, niſi & ipſa ſint evidenter cognita; cognoſci autem ea evidenter nequeunt, niſi opera ipſa edita fuerint in conſpectu eorum, quibus ex indiciis iſtis miraculorum veritas evidenter monſtranda eſt: quod non obſcurè innuit Suarez, cùm *d. l.* ſignatè ait, ex circumſtantiis à ſe adductis *potuiſſe VIDENTIBUS evidenter conſtare evidentiâ quâdam naturali, vera eſſe, quæ agebantur.* Sed ejusmodi indicia in operibus, quæ Pontificii pro miraculis haberi volunt, reperiri & evidenter cognoſcenda exhiberi poſſe iis, quibus miraculorum veritas probanda eſt, id pernegamus, nec affirmare poterunt Adverſarii, qui adeò lucem ſubterfugiunt, ut ſua miracula narrare, quàm præſentibus & videntibus nobis patrare hactenus maluerint.

XLVI. Quod verò ſpeciatim indicia à Pererio adducta concernit, ea non videntur ita certa & clara eſſe, ut ſi probè attendantur, *cuilibet* (verba ſunt Pererii) *qui ſanæ mentis eſt, & ſtudioſus veritatis amatorq́ virtutis, non difficile futurum ſit, vera miracula à falſis diſcernere,* niſi forſan aliæ ſingulares circumſtantiæ concurrant, quæ evidenter cognitæ conjunctim in ſpectatoribus aliquam gignant evidentiam, quales in Chriſti miraculis plures *l. c.* obſervat Suarez, & nos infrà indicaturi ſumus. Hoc ut manifeſtum evadat, de ſingulis diſſerentem Pererium audiemus.

XLVII. Facit autem ille *primum* indicium, *dignitatem virtutis efficientis,* de quo ita loquitur: *Vera miracula, cùm omnis naturæ creatæ vim exuperent, ſolius Dei poteſtate poſſunt effici: nam quamvis per Angelos vel ſervos Dei fieri videantur, illi tamen non agunt virtute ſua, ſed Dei, cujus ſunt adminiſtri & tanquam inſtrumenta. Magi autem opera*

ra ſua faciunt, vel virtute quarundam rerum naturalium, quibus utuntur occultè, vel operâ Dæmonum, qui clàm magis auxiliantur. Sed utut hæc ita ſeſe habeant, remanet tamen quæſtio, unde ſanæ mentis homini & veritatis ac virtutis ſtudioſo, qui juxtà Pererium inter vera ac falſa miracula diſcernere poteſt, certò innoteſcat, hoc vel iſtud mirandum opus hîc & nunc factum fieri virtute Dei vel virtute naturali, vel dæmonum? Sanè ſi hoc ipſi evidenter conſtaret, res eſſet ſalva; ſed quamdiu id incertum eſt, tamdiu manet dubium, ſitne verum miraculum nec ne. Pererius autem tam hic quàm in ſequentibus ita loquitur, quaſi jam certum ſit, mirandum, qui in oculos incurrit, effectum à magis eſſe factum, quod tamen ſæpè juxta cum ignariſſimis neſcimus.

XLIIX. *Secundum* indicium proponit Pererius his verbis: *Vera,* inquit, *miracula licet interdum faciant etiam homines mali; rarò tamen, nec niſi ad confirmationem veritatis, & divinæ virtutis declarationem: ferè autem magi homines ſunt flagitioſi & malefici, quos proinde divinis humanisq́; legibus conſulere & adire prohibemur.* Aſt, eo ipſo, quod Pererius concedit, interdum etiam vera miracula fieri à malis, & contrà falſa ab iis, qui non flagitioſè vivunt, eo ipſo, inquam, ſatis prodit, hoc indicium ad diſcernenda miracula ſufficiens non eſſe.

XLIX. Quod *tertium* attinet, de eo ita diſſerit ille: *Quæ faciunt magi, vel ſunt tantùm phantaſtica & ſimulata, & admodum diuturna; vel ſunt perniciosa, vel inutilia; vera autem miracula ſunt opera ſolida & vera, utiliſſima hominibus & non niſi magna aliqua neceſſitate & utilitate facta.* Verùm cùm non omnia magorum opera ſint phantaſtica, pernicioſa vel inutilia, ſed quædam eorum ſint vera & uti-

 lia,

lia, v. g. cùm ægrotos sanitati restituunt; è diverso autem vera miracula interdum perniciem hominibus inferant, ut in plagis Ægyptiacis videre licet, neque huic indicio multum tribuendum esse patet.

L. Pergit ad *quartum,* scilicet ad *modum faciendi,* de quo hæc ejus sunt verba: *Magi opera sua faciunt, vel per causas naturales, vel ope Dæmonum, utuntur multis præstigiis, mendaciis, ludificationibus hominum, figuris, characteribus, verbis vel nihil vel absurda significantibus, aliisque superstitiosis ceremoniis, &c. Nihil tale sancti faciunt edendis miraculis, sed vel interiore vel etiam exteriori supplicatione & invocatione divinæ virtutis, vel facto signo crucis, vel aliquibus verbis sacris recitatis, miracula operantur.* Resp. 1. Verum quidem est, magos opera sua facere vel per causas naturales, vel ope dæmonum, uti item multis præstigiis ac ludificationibus hominum. Sed unde nobis evidenter constat, hæc vel illa miranda opera per causas naturales aut ope dæmonum fieri? & unde nobis cognitum est, ea esse præstigias & ludificationes, non autem vera opera? v. g. Tacitus *lib. IV. Hist. cap. 81.* & Suetonius *in Vespas. cap. 7.* inter *miracula* Alexandriæ facta referunt, quòd Vespasianus Imp. cæco oris excremento, quo ipsius genas & oculorum orbes resperserat, visum, & manu, vel, ut Suetonius narrat, crure ægro, cum pede ipsum calcasset, manum aut crus restituit: & addit Suetonius, *vix fidem fuisse,* antequam id experiretur Imperator, *rem ullo modo successuram.* Hæc quin ope dæmonis peracta fuerint, nullum quidem est dubium, cùm monitu Serapidis deastri ægri remedium à Cæsare petierint; Nihilo tamen minus spectatores utrumque hoc opus pro vero miraculo habuerunt, ita, ut, *qui interfuere,* Taciti quoque tempore illud tanquam singulare & mi-

mirandum opus *memorârint*, *postquam nullum mendacio pretium.* Unde verò hoc, nisi quòd ignorarint, dæmonis virtute hæc facta fuisse? 2. Quod attinet ad figuras & ceremonias superstitiosas, quas magi adhibent, neque ex illis satis discerni poterunt falsa miracula à veris, cùm & in veris miraculis quandoque ceremoniæ usurpatæ fuerint, quæ in hominum oculis poterant superstitiosæ & nihil prorsus ad effectum producendum pertinentes videri, v. g. quando Christus cæco nato visum daturus *exspuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & illevit lutum super oculos cæci, Joh. IX, 6. 11, 14.* & quando *misit digitos suos in auriculas surdi, & sputo emisso tetigit linguam ejus, ingemuit ac dixit: Ephphata, Marc. VII, 33, 34.*

LI. Denique de *quinto*, quod *finis* erat, ita loquitur Pererius: *Ad extremum, cur vel Dæmones vel magi faciant illa sua miracula, non est obscurum: nimirum vel lucri, vel gloriæ & honoris cupiditate sibi divinum nomen & cultum ambientes; velut veritatem pervertant & falsitatem hominibus persuadeant; vel ad patranda malefica, veluti furta, adulteria, homicidia. Sancti autem faciunt miracula, non ista causa, cum & divitias contemnant, & honores fugiant, sed ut Deum honorent, Ecclesiam ædificent, homines non solùm corpore, sed multò etiam magis animo juvent.* Sed cum finis eorum miraculorum persæpè sit occultus; in illo etiam casu, ubi ex miraculis de veritate doctrinæ judicari debet, sciri nequeat (nisi fortè aliunde id constet) utrum veritatis confirmandæ an falsitatis persuadendæ gratia miracula edantur, nemo non videt, ultimum quoque hoc indicium ejusdem cum prioribus monetæ esse, & parum ad rem præsentem facere.

LII. Quoniam itaque adeò fallacia sunt ista indicia se-

ſecundùm ſe ſpectata (quanquam ne hæc quidem in Pontificiorum ſic dictis miraculis deprehendere licet) nec certiora in promtu habent Adverſarii, citiùs forſan è pumice aquam expreſſeris, quàm ab illis argumenta, quibus evidenter probent, miracula ſua vera & propriè dicta miracula eſſe. Quam argumentorum inopiam ipſe Bellarminus agnovit, cùm *Tom. II. Contr. lib. IV. cap. 14. §. Eſt autem &c.* ingenuè fatetur, *ante approbationem Eccleſiæ non eſſe evidens de ullo miraculo, quòd ſit verum miraculum, & non conſtare nobis certitudine, cui non poſſit ſubeſſe falſum, illam non eſſe illuſionem Dæmonis: Dæmonem enim etſi non poſſit facere vere miracula, tamen poſſe facere apparenter etiam maxima quæque.*

LIII. Sed an forſan id *evidenter credibile* facere poſſunt? Hoc dubio procul intrepidè affirmabunt, urgebuntque autoritatem & diligentiam Epiſcoporum, Theologorum, aliorumque doctiſſimorum Virorum, quibus miraculorum diſcretio in Papatu committitur. Man betrachte, inquit Autor Spec Brand. *part. III. c. 9* §. 2 wie ſo groſſe und fleißige Erforſchung vorher gehen muß/ ehe die Chriſtliche Kirche neues Wunderwerck approbirt, dann dieſe Sach nicht beruhet etwa auf eines alten Weibes Teſtimonio, oder dieſer oder jener Perſon Phantaſey/ ſondern es werden hier glaubwürdigſte Zeugnüſſen der Biſchoffe und Obrigkeiten examinirt, Ja es müſſen offtmal die Zeugen ſolches mit einem Aydſchwur bekräfftigen/ Gottsförchtige und gelehrte Leute beſichtigen und diſputirn, ob es aus natürlichen Kräfften/ oder mit Hülff des Teuffels zugangen/ es werden alle Umſtände betrachtet/ auff welche Weiß/ mit was Gelegenheit/ zu welcher Zeit und Ort/ zu welchem End/ und in welcher Leute Anweſenheit ſolches geſchehen/ darüber dann publica inſtrumenta aufgerichtet werden.

bent. Eadem repetuntur in Apol. Spec. *part. III. sub finem capitis 9.* Ipsum etiam Concilium Tridentinum *sess. XXV. de venerat. Sanctorum & Imag.* decernit, *nulla admittenda esse nova miracula — nisi recognoscente & approbante Episcopo, qui simul atque de iis aliquid compertum habuerit, adhibitis in consilium Theologis, & aliis piis viris, ea faciat, quæ veritati & pietati consentanea judicaverit.*

LIV. Verùm Judices illi, quibus judicium de miraculorum veritate in Papatu defertur, non sunt extrà omnem suspicionem constituti, quia superstitionis, ad quam palliandam ac roborandam miracula urgentur, Patroni sunt, & videntur illi ipsi esse, qui rudem plebeculam miraculorum specie dementare omni animi contentione laborant.

LV. Deinde si vel maximè candidi & ingenui essent, tamen eorum judicium non esset sufficiens ad evidentiam hanc credibilitatis evincendam. Nam

1. Illi plerumque non viderunt, quæ contigisse dicuntur, sed aliorum ea narrantium testimonio nituntur. Fieri autem potest, ut hi ipsi testes sint ab aliis subornati ac pretio corrupti, qui vel factum ipsum vel quædam ejus circumstantias fingant. Quo in casu totum Episcoporum ac Theologorum judicium erroneum esse necesse est. *In modo, quo unus homo miracula proponit, posse subesse falsum quis dubitet? cum possit mentiri, affirmans se miraculum vidisse, cum non viderit.* Verba sunt Mendozæ *disp. IIX. de anima sect. 3. § 12.* Et Card. Baronius *ad an. DCIV. n. 40. In his*, inquit, *quæ ad earum gestarum veritatem spectant quàm frequenter audivi falli etiam prudentissimos, nec in antiquis tantummodo sed & in suis, quæ facta dicuntur in eodem loco, quo ipsi sunt, & quo vivunt tempore, cùm usus doceat, plurimis demon-*

monstrare supervacaneum esse putamus. Nota etiam est Erasmi querela *l. V. de rat. conc. Episcopis piis magis quàm eruditis aut cautis (est enim credula simplicitas) multa obtrudebantur conficta & inepta.*

2. Indicia, ex quibus Judices isti vera miracula à falsis dignoscere volunt, non sunt ita comparata, ut evidens certitudo de veritate miraculorum ex illis haberi possit, sicut modò ostensum fuit. Quomodo ergò ex illorum judicio nasci potest credibilitatis evidentia, si indicia, quibus unicè nititur eorum judicium, non sint certa, sed fallere queant ipsosmet judices?

3. Denique nobis, qui divinam Scripturæ S. autoritatem admittimus, ex illa certum est, falsam ac erroneam esse doctrinam, quam miraculis suis confirmatam dicunt Pontificii: Unde nobis non solùm non evidens, nec evidenter credibile est, vera esse miracula, quæ pro talibus habent & habenda esse decernunt judices illi; verum etiam ex falsa doctrina, cujus roborandæ gratiâ afferuntur, ad Scripturæ S. amussim examinata, nobis certò constat, ea falsa esse, & judices illos suo judicio a vero longissimè aberrasse, undecunque etiam error promanârit: verum enim miraculum non esse, quod ad falsam doctrinam confirmandam adhibetur, evidentissimum principium est.

LVI. Et sanè ultimum hoc de falsitate doctrinæ Pontificiæ tanto validiùs stringit mirabiliarios, quanto acriùs ipsi propugnant, impossibile esse, falsam doctrinam veris miraculis confirmari. Quod dum vident, manibus pedibusque telum hoc à se amoliri conantur. Bellarminus postulat, ut *probemus*, doctrinam Pontificiam esse falsam, *quod tam audacter affirmamus.* Sed dudum datas & ad nauseam usque repetitas validissimas probationes nostras dissimulat

Car-

Cardinalis, ut vel hoc pacto ictum declinet. Autor verò Speculi Brand. aliam insistit viam, dicitque, assertum hoc nostrum petere id, quod est in principio: hanc enim jam quæstionem esse, an Pontificiorum doctrina falsa sit? Ejus autem negativam se probare manifestissimis miraculis, planè ad exemplum Christi Servatoris, veritatem doctrinæ suæ eodem modo demonstrantis, *Joh. X 37,38*; nos verò, dum falsitatem doctrinæ Pontificiis objicimus, insistere Judæorum & Pharisæorum vestigiis, idque loco probationis sumere, de quo quæritur, & cujus contrarium argumento à miraculis petito probatur. Verba ejus, ut jacent, ita habent *part. III. cap. 9* § 2. Ihr wendet zwar ein/ daß diese Wunderwerk der Papisten lauffen wider die wahre Lehr des Evangelii. Antwort. Dieser Einwurff ist ein schändliche petitio principii, dann dieses ist itzo die Frage/ welches die wahre Lehr des Evangelii sey: Dieses beweisen wir mit öffentlichen unläugbaren Göttlichen Wunderwerken/ die jedermann bekant seyn können: Und folgen hierinn nach dem HERREN Christo/ der uns also argumentiren gelehrt/ dann Er auch also wider die Juden procediret, und bewiesen seine Lehr aus seinen Werken. Die Un-Catholische/ die uns dieses einwenden/ folgen nach den Juden und Pharisäern/ welche damit Sie Christi Wunderwerk verwerffen möchten / nemmen Sie zum Beweiß die Conclusion, nemlich weil Christi Lehr falsch sey/ als müssen auch seine Wunderwerk falsch seyn: da doch vielmehr die Lehr aus den Wunderwerken/ nicht aber die Wunderwerk aus der Lehr oder Falschheit der Kirchen examinirt werden müssen. Et in Apol. *part. III. cap. 9 punct. 9.* Brochmand will die Wunderwerk aus der Lehr erstlich probiret haben. Wir sagen/ diesen Ketzerischen modum procedendi haben erstlich die Juden wider Christum gebraucht/ welche/ damit sie Christi Wunder-

werk laugnen möchten/namen sie zum Beweiß die Conclusion, nemlich/ daß weil seine Lehr falsch sey/ müsten auch seine Wunderwerk falsch seyn; Nicht anderst als wie heut zu Tage die Predicanten wider uns auffgezogen kommen; weil der Catholischen Lehr von der Meß/ Fegfeur ꝛc. falsch und wider die Schrifft ist, müssen auch ihre Wunderwerk/ damit GOtt solche Articul bekräfftiget/ falsch seyn. Hæc ille.

LVII. Sed respondemus, 1. falsò nos petitionis principii insimulari. Nam is principium petere dicitur, qui vel idem per idem, vel ignotum ac incertum per diversum quidem, sed æquè ignotum ac incertum probat. Neutrum autem nos facimus. Non prius, ut patet: aliud enim est, Pontificiorum miracula esse falsa, quod probatur, & aliud, Pontificiorum doctrinam esse falsam, quo illud probatur. Neque posterius: notius enim & certius est, Pontificiorum doctrinam esse falsam, quàm eorum miracula falsa esse: illud namque ex sola collatione doctrinæ Pontificiæ cum Scriptura S. constare potest, hoc non item, quoniam Scriptura S. accuratum discrimen inter vera & falsa miracula nuspiam assignat.

LIIX. Dicas: adhuc tamen in quæstione esse, anne Pontificiorum doctrina falsa sit, & negativam illos probare velle ex miraculis, quibus doctrinam suam confirmatam ajunt: everius itaque id incertum & dubium esse, ac proinde ad probandum incertum & dubium quid haut debuisse à nobis adduci.

LIX. Resp. Nihil absurdi esse, aliquid, quod ab adversario in dubium vocatur vel negatur, in alia quæstione controversa probationis loco adhibere, si illud vel tibi jam probaveris, vel ulterius, flagitante adversario, probare paratus sis. Jam verò dudum à nobis probatum fuit, & ne-

nuò

modo, si opus sit, probari poterit, doctrinam Pontificiam esse falsam. Rectè itaque & sine ulla petitione principii à falsitate doctrinæ ad falsitatem miraculorum Papalium concludere possumus.

LX. Quod 2. dicebatur, Pontificios sua argumentandi ratione imitari Christum, id æquè falsum est. Christus enim doctrinam suam primò probabat ex Scripturis, deinde eam confirmabat miraculis, iisque non fictitiis aut dubiis, qualia sunt Pontificiorum miracula, sed quæ in conspectu ipsorum etiam hostium suorum faciebat ita evidenter, ut præter calumnias illi non haberent quod opponerent. *Circumibat* enim *totam Galilæam Jesus, docens in Synagogis illorum, ac prædicans Evangelium regni, & sanans omnem morbum & omnem languorem in populo*, uti narrat *Matthæus cap. IV, 23.* Christus, quamvis fateatur, *opera quæ faciebat, testificari de se, quod missus sit a patre, Joh. V, 36.* simul tamen provocat ad testimonium Patris sui, & ad testimonium Scripturarum, quas diligenter scrutari jubet *v. 39.* Christus increpat Regulum, & sub ejus persona incredulos alios, quod sine miraculis credere noluerunt, *Joh. IV, 48.* & approbat illud Abrahami, fratres damnati epulonis à miraculis ad Mosen & Prophetas remittentis: *Habent Mosen & Prophetas, audiant illos. Si Mosen & Prophetas non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent, Luc. XVI, 29. 31.* Nihil horum Pontificii faciunt, sed nycticoracum instar Scripturæ lucem reformidant, & priusquam ex illa doctrinam suam probatam dederint, ordine planè præpostero fictitia & spuria miracula in aciem producunt. Qua jure igitur se Christi exemplum imitari dicere queant, nondum intelligimus.

LXI. Nec obstat locus *Joh. X, 37, 38.* quem subinde in

ore habent, ubi Christus ad Judæos ait: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Sin verò facio, etsi mihi non credatis, operibus credite.* Tantum enim abest, ut Christus velit, nullo modo sibi credi debere absque miraculis, (quem sensum verbis Christi affingit Apol. Spec. Brand. *part. III. cap. 9. pun. 7. 5. p. 347.*) ut contrà, sicut antè Reguli, ita his ipsis verbis Judæorum incredulitatem redarguat, quòd absque miraculis doctrinæ suæ non crediderint. Operosè hactenus tam verbis quàm factis ostenderat Servator, se esse verum Messiam Dei filium, ut dudum Judæi id debuissent credere. Nihilo tamen minus, cum in porticu Salomonis aliquando ambularet, *circumdederunt eum Judæi, & dicebant ei: Quousque animam nostram suspendis? si tu es Christus, dic nobis ingenuè.* Respondet eis Jesus, & *primò* in memoriam ipsis revocat doctrinam suam, his verbis: *Dixi vobis, nec creditis,* innuens, sæpè id se docuisse firmisque è Scriptura petitis rationibus probatum dedisse, cui doctrinæ suæ merito absque ullo alio testimonio fidem habere debuissent, nisi de industria ipsi resistere voluissent. Cùm verò eandem doctrinam suam additis quoque miraculis confirmasset, ad illa *secundo loco* provocat, dicens: *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium reddunt de me. Sed vos,* ut docenti mihi non credidistis, ita *nec* operibus *creditis: quia non estis ex ovibus meis — Ego & Pater unum sumus. v. 25. seqq.* Hisce auditis *sustulerunt rursum lapides Judæi, ut lapidarent eum:* rogati causam respondent, *ob blasphemiam* se Christum lapidaturos, quippe *qui homo cum sit, faciat se ipsum Deum. v. 31, 32, 33.* Regerit Servator, & primò ex Scripturis ostendit, nullius se blasphemiæ reum esse, quod se & Patrem unum dixerit; deinde idem probat ex miraculis, quæ opera enim Patris sui, &

quæ

quæ nemo facere poterat nisi Deus pater suus. Unde infert, se, cum opera illa fecerit, esse unum cum Patre. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Sin verò facio, etsi mihi non credatis, operibus credite, ut cognoscatis & credatis, quòd Pater in me est, & ego in eo. v. 37. 38.* q. d. Licet mihi divinitatem meam satis perspicuis verbis & argumentis adstruenti credere debuissetis; quia tamen istud à vobis impetrari haut potuit, deduco vos ad opera, quæ inter vos feci. Isto igitur, ne credite mihi, si non facio opera, quæ nemo nisi Deus Pater meus facere potest. Sed si ea facio, ut facio, quoniam mihi citra miracula non creditis, quod tamen facere debuissetis, operibus istis credite, seu propter opera saltem mihi credite, ut vel sic tandem cognoscatis & credatis, quòd Pater in me est, & ego in eo, sive quod ego & Pater unum sumus. Perinde, ut *Joh. XIV, 11.* dicit. *Credite mihi quod ego in patre sum, εἰ δὲ μή, sin minus propter ipsa facta credite mihi.* Hæc est genuina loci Johannei interpretatio, quam cum nunquam non nobis opponant Pontificii, non immeritò eos alloquimur verbis Augustini, quibus ipse olim in simili causâ contra Manichæos usus est, usurus iisdem contra Pontificios, si suo illi tempore vixissent. Ita verò ait *lib. XIII. contra Faustum Manichæum* [illegible] *Profertis è* codice sacro *Christum dicentem: Si mihi non creditis, operibus credite. &, Ego sum qui testimonium perhibeo de me: & testimonium perhibet de me qui misit me pater. & non multa contra vos inde proferri.* [illegible] *putatis vos vitam æternam habere,* [illegible] *&, si crederetis Mosi, crederetis & mihi: de me enim ille scripsit. &, Habeat illi Mosen & Prophetas, audiant eos: & si Mosen & Prophetas non audiunt, nec si quis mortuus resurrexerit, cre-*

 dent

dent ei. Unde huc exiſtis? Unde confiditis? Scripturas tantâ authoritate firmatas commendatasq́ reſpuitis: miracula non facitis, quæ ſi faceretis, etiam ipſa in vobis caveremus per inſtruentem nos Dominum, & dicentem: Exurgent multi Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ, & facient ſigna & prodigia multa, ut fallant, ſi fieri poteſt, etiam electos: ecce prædixi vobis. Usque adeò nihil credi voluit adverſus confirmatam Scripturarum authoritatem!

LXII. Præterea 3. vanum commentum eſt, quòd dicunt, nos, dum à falſitate doctrinæ Pontificiæ argumentamur ad falſitatem miraculorum, imitari Judæos & Phariſæos. Illi enim videbant à Chriſto patrari ea opera, quæ non niſi divinâ virtute fieri poſſe ipſa eorum conſcientia illis dictabat: nihil etiam falſitatis in ejus doctrina deprehendere poterant, & tamen ex mera malitia calumniabantur, Chriſtum ope dæmonis facere miracula, doctrinamque ejus ampliùs audire nolebant. Nos verò talia Pontificiorum miracula non cernimus. Interim quia de plurimis eos gloriari novimus, doctrinam ipſorum, ad cujus confirmationem facta dicuntur miracula illa, libenter audimus, τὸ καθ' ἡμέραν ἀνακρίνοντες τὰς γραφὰς, εἰ ἔχοι ταῦτα οὕτως *Act. XVII*, 11. & quia illam Scripturis minimè conſonam eſſe deprehendimus, tandem concludimus, neque miracula iſta vera eſſe poſſe. Quem procedendi modum toto, quod dicitur, cœlo diſtare à perverſo Judæorum more modoque, cæcus ſit, qui non videat.

LXIII. Denique 4. quòd modus hic noſter argumentandi *hæreticus* proclamatur, & additur, doctrinam potius ex miraculis, non autem miracula ex doctrina æſtimari ac probari debere, id verò acerbum nimis eſt, & facilius dicitur quàm probatur. A noſtris ſanè partibus ſtat ipſe Deus,

qui

qui miracula juxtà doctrinam, cui confirmandæ quandoque præposterè adhibentur, examinare docet, *Deut. XIII,1. Si surrexerit in medio tui propheta vel somnians somnium, & dederit tibi signum vel portentum: Et venerit signum & portentum, quod locutus est tibi, dicendo: Eamus post deos alienos, quos non nosti, & colamus eos. Non obedies verbis Prophetæ illius vel somniantis somnium illud.* Hic manifestè Deus signum aut prodigium Pseudoprophetæ rejicere & flocci pendere jubet, quia ad confirmandam & animis hominum instillandam falsam doctrinam de cultu deorum alienorum adhibebatur, vetatque deos alienos colere, etiamsi prodigium, quod Propheta prædixerat, evenerit. Quid autem hoc aliud est, quam miracula ex doctrina æstimanda. & si hæc falsa sit, illa quoque contemnenda & pro falsis reputanda esse? Ita Servator *Matth. XXIV, 24.* Pseudochristis & Pseudoprophetis facturis *signa ac prodigia magna, ita, ut in errorem inducantur, si fieri possit, etiam electi,* fidem habere prohibet, dicens: *Nolite credere, Ecce prædixi vobis:* quare vero? quia falsum erat eorum præconium: *Ecce hic Christus, ecce illic. Ecce in deserto, Ecce in penetralibus est.*

LXIV. Idem sentit Augustinus *l. X. de Civ. Dei cap. 12.* inquiens: *Quæcunque miracula, sive per angelos, sive quocunque modo ita divinitus fiunt, ut Dei unius, in quo solo beata vita est, cultum religionemq; commendent, ea vere ab eis, vel per eos, qui nos secundum veritatem pietatemq; diligunt, fieri, ipso Deo in illis operante credendum est.* Et *seq. c. 16.* quærit, *quibus angelis de beata & sempiterna vita credendum sit? utrumne eis, qui se religionis ritibus coli volunt, sibi sacra & sacrificia flagitantes à mortalibus exhiberi: an eis, qui hunc omnem cultum uni Deo creatori omnium deberi dicunt.*

cunt. Respondet autem inter alia: *Si tantum hi mirabilibus factis humanas animas permoverent, qui sacrificia sibi expetunt: illi autem qui hoc prohibent, & uni tantum Deo sacrificari jubent, nequaquam ista visibilia miracula facere dignarentur, profecto non sensu corporis, sed ratione mentis præponenda eorum esset autoritas.* Ecce! iis angelis, qui soli Deo sacrificari jubent absque miraculis, credendum dicit Augustinus, præ illis, qui addirint etiam miraculis sibi sacrificia expetunt. Quæ ratio, nisi quòd horum doctrina falsa, illorum autem vera est? Theophylactus *in cap. IX. Lucæ. Dans eis potestatem contra malos spiritus, non illa contentus fuit, sed jussit etiam Evangelium prædicare. Decet enim, ut is, cui concredita est doctrina, & prædicare, & miraculum agere debeat. Tunc enim prædicatio per miracula confirmatur, miracula autem per prædicationem: multi enim multa miracula per dæmones fecerunt, quorum prædicatio sana non fuit, & miracula eorum ex Deo non fuerunt.* Rursus *in cap. XVI. Luc. Nunc nihil tam utile est ut scripturarum diligens scrutatio. Mortuorum suscitationem falsè & apparenter facere potest etiam diabolus, ut seducat imprudentes, seminans doctrinas de inferno dignas sua malitia: at eis, qui Scripturas probè scrutantur, nihil potest illudere. Illa enim sunt lucerna & lumen, quo lucente fur deprehenditur & manifestatur. Illis igitur credendum, & de mortuorum suscitatione non curandum.*

LXV. Equidem quid clariùs pro nostra sententia dici possit, non video. Lubet tamen etiam audire, quid inter ipsos Pontificios hac de re senserint viri docti. Alphonsus Salmero *Tom. IX. tract. 50. p. 403.* ita scribit: *Adversus Dei verbum miraculis confirmatum nullum signum est admittendum. Tunc autem signis securè credimus, si doctrina verbi Dei*

Dei consenserit in Christo. Signa præterea ejusmodi doctrinâ destituta, sunt falsa atque mendacia, & qualia Christus tribuit Pseudoprophetis, & Apostolus Antichristo venturo. Josephus Acosta *lib. III. de tempor. noviss. cap. 3. Omnibus miraculis Antichristi, quamvis magna ille præbeat, intrepida opponet Ecclesia fidem Scripturarum: atque hujus veritatis testimonio inexpugnabili omnes illius præstigias tanquam nebulas clarissimâ luce disjiciet — Et signa quidem infidelibus data sunt, Scripturæ fidelibus. Idcirco primæva Ecclesia miraculis abundavit, cùm essent infideles vocandi: at ultima Ecclesia, cùm fideles vocati jam sint, plus Scripturâ quàm miraculis nititur. Quin etiam audacter dixerim, miracula omnia vana esse & inania, nisi Scripturâ approbentur h. e. doctrinam habeant Scripturæ conformem; Scriptura verò ipsa per se firmissimum veritatis argumentum est.* Cum Hispano hoc consentit Lusitanus Andradius *defens. Trident. fidei lib. II.* ubi scribit, *ideò Augustinum contendere, Ecclesiæ certa atque firma indicia e sacris literis petenda esse, quia ab omni sunt falsitatis suspicione liberæ. Nam cùm miracula, stupendaq́; prodigia, quæ sæpe à viris fiunt sanctissimis, Dæmonum operâ à perditis etiam & facinorosis fieri posse dicat, futurarumq́; rerum prædictiones, & occultæ revelationes non modò piis, sed impiis quoque & flagitiosis hominibus accidere aliquando possint, falsa profectò hæc sunt plerumque, infirma etiam semper Ecclesiæ veræ indicia. Quare sola divina oracula veritatis perpetuum domicilium, sedesq́; firmissima illius vim & dignitatem demonstrant, & quantis sit à Deo muneribus exculta, quibusq́; illustrata, mirabiliter declarant.* Accedat denique testimonium recentioris Doctoris Pontificii Guilielmi Estii qui *in II. sent. dist. 7. §. 19.* cùm verba Christi *Matth. XXIV. Nolite exire, nolite credere,* adduxisset, hæc de suo addit:

Notandum, quòd non dicit, disquirite diligenter signa, num vera sint miracula: Nam præcipua confirmatio fidelium esse debet doctrina Ecclesiæ jam olim à Christo & Apostolis per indubitata miracula confirmata, & ad posteros transmissa, ita ut etiamsi Angelus de cælo aliud annunciet, non sit ei credendum, Galat. 1. Similiter ergo credendum non esset, si pro falsa doctrina per hæreticos vera fierent miracula. Eant nunc Pontificii, & hæreticorum receptaculum latiùs nonnihil extendant, ut sua etiam dictis Patribus & Scriptoribus Pontificiis subsellia ibi parari possint!

LXVI. Et tantum etiam de *altero* dictum esto, de veritate scilicet miraculorum Papalium, quam neque evidenter probare, neque evidenter credibilem nobis reddere potuisse Adversarios, ex dictis satis liquere arbitror.

LXVII. Objiciat autem quis, ea, quæ hactenus ad Pontificii argumenti vim infringendam disputata sunt, æquè contra Christi ac Pontificiorum miracula militare: siqui enim ex illis, neque nos hodiè, neque olim Judæos, de veritate miraculorum Christi certos esse potuisse, adeoque hos non peccasse, quòd visis istis miraculis in eorum autorem non crediderint; id verò Christo ipsi apertè repugnare, qui Judæos non semel in miracula sua oculos conjicere jussit, eosque acriter increpavit, quòd post visa miracula fidem sibi denegarent. *Si opera*, inquit, *non fecissem inter eos, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent: nunc autem & viderunt, & oderunt non solum me, verùm etiam Patrem meum, Joh. XV, 24. Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Sin vero facio, etsi mihi non credatis, operibus credite, cap. X, 38.*

LXIIX. Verùm respondemus, negando consequentiam.

tiam. Nam I. nobis certissimum est certitudine fidei, miranda Christi opera verè divina fuisse miracula. Id enim clarè satis testantur sacræ literæ, quibus, ut in cæteris omnibus, quæ tradunt, ita & in hoc propter θεοπνευστίαν & divinam revelationem firmiter credimus.

LXIX. II. Longè dispar ratio est miraculorum, quæ olim Christus fecit, cùm in terris ageret, & eorum, quæ in Papatu facta dicuntur. Christi enim miracula publicè in conspectu Judæorum edebantur, & in illis tot evidentia elucebant indicia, ex quibus probè consideratis non potuit non Judæis apertè constare, quòd vera essent miracula.

LXX. Nam *primo* quædam eorum non solùm quoad productionis modum, sed & quoad ipsam facti substantiam omnem naturæ creatæ vim excedebant: qualia erant v. g. *suscitatio Lazari demortui, & illuminatio cæci nati, quibus non posse majora signa dári* Salmero statuit *Tom. IX. Tract 51.* Neutrum horum miraculorum Christus in obscuro angulo patravit, sed prius coràm Judæis numero multis, *qui venerant ad Martham & Mariam, ut consolarentur eas de fratre suo, Joh. XI, 19*; posterius autem in præsentiâ discipulorum suorum. In utroque notabiles circumstantiæ concurrebant, ex quibus aliis quoque de evidentia facti constare poterat. Nam Lazarum, postquam aliquamdiu decubuisset, ante quatriduum è vita abiisse, ejusque cadaver jam sepulchro illatum fuisse, omnibus Bethaniæ multisque vicinorum locorum incolis innotuerat, *Joh. XI, 17, 19, 21, 32, 37, 39.* Eundem à mortuis resuscitatum plurimi Judæorum, hac de caussa catervatim Bethaniam advolantium, viderant, visoque eo de miraculo passim testati erant, *cap. XII, 9, 17.* Quin ipsi Pontifices ac Pharisæi, infensissimi Christi hostes, cùm in pleno consessu de toto hoc negotio deliberationem

instituerent, nil quicquam deprehendebant, quod miraculi veritatem ullo modo dubiam vel suspectam reddere potuisset, *cap. XI,* 47. *XII, 19.* Similiter cæcum illum à nativitate cæcum fuisse, res vulgò notissima erat. Hinc vicini & alii, cùm præter spem visu eum donatum cernerent, admirabundi quærebant: *Nonne hic est, qui sedebat & mendicabat?* Affirmante autem ipso, se esse, porrò quærebant: *Quomodo aperti sunt tibi oculi? Joh. IX, 8, 9,* 10. Edocti modum ad Pharisæos illum adducebant, quibus sciscitantibus denuò rem exposuit. Hi verò cùm dubitarent, utrum à prima nativitate cæcus fuerit, à parentibus ejus ad se accersitis id ediscere cupiebant. Respondentibus illis: *Scimus, quòd hic est filius noster, & quòd cæcus natus est. v. 18, 19, 20.* rursum eum, qui cæcus fuerat, vocant, dicentes: *Da gloriam Deo. Nos scimus, quod hic homo peccator est v. 24.* Ille verò nullis neque blanditiis neque minis à semel edita confessione se dimoveri passus, eandem non sine illusione Pharisæorum tantâ constantiâ repetiit, ut maluerit ἀποσυνάγωγος fieri, quàm factum reclamante conscientiâ inficiari.

LXXI. Quia igitur, adhibito omni studio, omnibusque perpensis circumstantiis, negare non poterant Judæi, & Lazarum verè à mortuis excitatum, & cæcum illum visu donatum fuisse, necessariò sequitur, illis etiam evidens fuisse, quòd vera & propriè sic dicta miracula fuerint. Nam verè mortuum in vitam revocare, & cæco nato visum largiri, sunt opera omnem naturæ creatæ vim excedentia. Ubi itaque de facti veritate evidenter constat, non poterit non simul evidens esse, quòd opus ipsum solà virtute divinâ productum ac verum miraculum sit. Exemplo est cæcus ille, de quo egimus: hic enim Dei manum, quæ visum sibi restitue-

fuerat, agnoscebat, dicens: *A seculo non est auditum, quòd quis aperuit oculos cæci nati. Nisi esset hic à Deo, non potuisset facere quicquam Joh. IX, 32, 33.*

LXXII. *Secundò* in Christi miraculis concurrebat multitudo & frequentia operum, quæ itidem non clàm sed in multorum conspectu edidit. Ita Matthæus *cap. IIX, 16.* refert, quòd *adduxerint illi dæmoniacos multos, & ejecerit Spiritus verbo, omnesque malè habentes sanârit*, idque Marcus *cap. I, 33.* dicit factum ante oculos *totius civitatis* Capernaum, *quæ congregata erat ad ostium domus Simonis & Andreæ, v. 29, 33. Quocunque introisset in vicos, aut in civitates, aut in villas, in plateis ponebant infirmos: & deprecabantur eum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent: & quotquot tangebant eum, salvi fiebant*, ait idem Marcus *cap. VI, ult.* & Matthæus *cap. IV, 24.* Imò Pontifices & Pharisæi ipsi, quibus hæc miraculorum Christi multitudo sudes in oculis erat, apertè dicunt: *Quid facimus? quia hic homo multa signa edit? Si permiserimus eum sic, omnes credent ei, Joh. XI, 47, 48.* Plurimi de turba exclamabant: *Christus quum venerit, num signa plura edet iis, quæ hic edit? Johan. VII. 31.* Quorum signorum tametsi pleni sunt Evangelistarum libri, Johannes tamen commemorat, *multa & alia signa fecisse Jesum in conspectu Discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro suo, c. XX, 30. & si scribantur per singula, nec ipsum mundum comprehensurum eos, qui scriberentur, libros, c. XXI, ult.* Mirum autem ni in tanta tam miraculorum quàm spectatorum copia fraus pelluxisset, si fallax dæmonis manus hic quicquam fuisset operata.

LXXIII. *Tertiò* concurrebat insuper multiplex & mirabilis modus operandi, ut I. quòd sæpè per nudum imperium homines à desperatis morbis ac malignis Spiritibus

liberavit, mortuos in vitam revocavit, aliaque miranda opera peregit. Quò spectant illa efficacia imperativa & dicta facta: *Volo, mundus esto. Ac protinus mundata fuit illius lepra, Matth. IIX, 3. Ephphata, quod est, aperire. Et statim apertæ sunt ejus aures, & solutum est vinculum linguæ ejus, ac loquebatur rectè, Marc. VII, 34, 35. Recipito visum: & confestim visum recepit, Luc. XIIX, 42, 43. Surge, tolle grabbatum tuum & ambula. Et statim sanus factus est homo ille, & sustulit grabbatum suum & ambulabat, Johan. V, 8, 9. Extende manum tuam. Et is extendit: ac restituta est sanitati sicut altera, Matth. XII, 13. Obmutesce,* Spiritus immunde, *& exi ab homine. Et exiit ab eo, Marc. I, 25, 26. Luc. IV, 35. Spiritus mute & surde, ego tibi impero, Exi ab eo, & ne posthac ingrediaris in illum. Et exivit, Marc. IX, 25. 26. Talitha Kumi, quod est, si quis interpretetur, Puella (tibi dico) surge. Et confestim surrexit puella & ambulabat, cap. V, 41, 42. Adolescens, tibi dico, surge. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, Luc. VII, 14, 15. Lazare, veni foràs. Et prodiit qui fuerat mortuus, Joh. XI, 43, 44. Veni. Et quum descendisset è navi Petrus, ambulabat super aquas, Matth. XIV, 29. Tunc excitatus increpavit ventos & mare, dicens, Tace & obmutesce. Et facta est tranquillitas magna, Matth. IIX, 26. Marc. IV, 39. Ne posthac ex te fructus nascatur in æternum. Et arefacta est continuò ficus, Matth. XXI, 19.* Quam efficaciam verborum Christi agnovit Centurio, dicens ad ipsum: *μόνον εἰπὲ λόγον, tantum dic verbum, & sanabitur famulus meus Matth. IIX, 8. Luc. VII, 7.* II. Quòd non rarò solo tactu sive manus sive vestimenti deploratæ valetudinis homines sanavit, *Matth. IIX, 15. IX, 20, 21, 25, 29, XIV, 36. XX, 34. Marc. III, 10. VI, 56. Luc. IV. 40.* III. Quòd absens quandoque morbos fugavit, *Matth. IIX, 13. Marc. VII, 29, 30.* IV. Quòd

Quòd interdum miraculis adjunxit aliud opus Dei proprium, ut manifestationem cogitationum cordis, *Matth. IX, 4. XII, 25.*

LXXIV. Quæ sanè indicia adeò luculenta erant, ut Judæi, si animum adverterent, in conscientia convincerentur, vera esse miracula, quæ à Christo edebantur. Quod ipsum abundè testantur multorum voces, quibus hanc miraculorum Christi veritatem ingenuè fassi sunt. Illustre exemplum habemus in Nicodemo, Principe Judæorum, apertè dicente, *neminem posse ea signa facere, quæ Jesus faciebat, nisi fuerit Deus cum eo, Joh. III, 2.* Simile judicium tulêrunt alii prudentes & probi spectatores. *Nunquam,* ajunt, *apparuit sic in Israel, Matth. IX, 33. Qualis est hic, quia venti quoque & mare obediunt illi? cap. IIX, 27. Num hic est ille filius David? cap. XII, 23. Quid est hoc? quia cum autoritate etiam Spiritibus immundis imperat & obediunt ei, Marc. I, 27. Nunquam sic vidimus, cap. II, 12. Vidimus* παράδοξα *incredibilia hodie, Luc. V, 26. Propheta magnus surrexit inter nos, & Deus visitavit plebem suam, cap. VII, 16. Hic est verè propheta ille, qui venturus est in mundum, Joh. VI, 14.* Hinc factum, quod *alii ipsum dixerint esse Johannem Baptistam, alii verò Eliam, alii verò Hieremiam, aut unum de numero Prophetarum, Matth. XVI, 14.* nemo autem eum pro mago aut mancipio dæmonis habuerit, nisi *prava ac adultera natio* Pharisæorum & Scribarum, paucorumque aliorum, qui *cæcos & stultos* hosce Duces sequebantur, *Matth. IX, 34. XII, 24. Marc. III, 22 Luc. XI, 15, seqq.* quibus tamen non solum Christus ipse, sed & inter Judæos plurimi fortiter contradixerunt, *Joh. X, 21.*

LXXV. Sed quo tempore quove in loco Pontificii inter nos, non dicam tot ac tanta, sed unicum saltem illis simile,

mile, tamque manifestis indiciis conspicuum opus patrârunt? cùm tamen, id ut facerent, non tam nos quàm res ipsa dudum postulârit. Miracula enim patrantur potissimùm propter errantes in fide, ut eorum vi ad veram fidei doctrinam amplectendam inducantur. Jam verò Pontificii mirabiliarii provincias urbesque nostras pervagantur, & omni conatu id agunt, ut, nos in fide errare, suam autem doctrinam veram esse, nobis persuadeant, idque non tam verbi quàm miraculorum à se editorum efficacia nobis persuadere volunt. Unde nihil magis necessarium æquitatique consentaneum est, quàm ut inter nos nostroque in conspectu specimen suorum miraculorum edant, sicut Christus olim inter Judæos, & Apostoli inter Judæos & Græcos convertendos sua miracula faciebant. Quid illi verò? Crepant miracula in Cimmeriis suæ Ecclesiæ tenebris inter eos (si credere fas est) patrata, quos rectè credere, jamque actu veræ Ecclesiæ membra esse statuunt; inter nos autem, quos ad eandem fidem inducere satagunt, nulla edunt; Et tamen miseri occinere nobis audent, Judæos eodem jure eâdemque facilitate potuisse Christi miracula in dubium vocare, quâ nos Papalia. Quo quid ineptius?

LXXVI. Atque ita perspicuè, ut arbitror, ostensum fuit, quàm ficulneum sit Pontificiorum argumentum pro probanda veritate Ecclesiæ suæ à miraculis petitum, quo tamen tantoperè sese efferunt, ut Autor Spec Brand. solum illud seductis in viam revocandis, & Catholicis (Pontificiis) in veritate confirmandis sufficere posse dicat; Valerianus autem M. ipsis portis inferi (quarum fortè robur bono seni non satis cognitum fuit) id opponere audeat. Possemus itaque hic meritò pedem figere, nisi Pseudocatholicorum sive pertinacia sive impudentia longiùs progredi suaderet.

LXXVII.

LXXVII. Nempe audivimus suprà *th. XXXI. seqq.* non solùm Patres primitivæ Ecclesiæ, sed & Pontificios Scriptores fatentes, donum miraculorum dudum in Ecclesiâ desiisse. Horum verò apertissimis & solis radio scriptis testimoniis insuper habitis, recentiores Pontificii contrarium præfractè propugnant, jactantes, hodienum quotidiè in Catholica, quam vocant, Ecclesia miracula fieri. *Quotidie fiunt multa miracula Laureti in Italia, Sichemii & Halleti in Brabantia, Dettelbachii in Franconia, & alibi*, vox est Martini Becani Jesuitæ *part. II. Theol. schol. Tom. post. Tr. 1. c. VI.* Cui accinit Christophorus Haunoldus Jesuita Ingolstadiensis *in notis responsoriis ad Herm. Conringii Concuss. fund. fid. Pont. p. 98. qui jactat, Ecclesiam Romanam quotidianis miraculis satis superque condecorari, quæ licet à Deo plerumque fiant ob fines quosdam particulares, e. g. ad hunc vel illum Sanctum honorandum, ad hunc vel illum articulum fidei Pontificiæ confirmandum, omnibus tamen unus sit finis universalis, ut sint testificatio Dei, illam esse genuinam Christi Ecclesiam, pro qua ea fiunt miracula.* Quod quà fronte quove modo faciant, non nullum fortassis operæ pretium erat, priùs audire, quàm finem dissertationi huic imponamus.

LXXIIX. Et quidem quòd antiquioribus & melioribus seculis miraculorum donum indesinenter viguerit in Ecclesia Christiana, probare inprimis volunt ex Augustini *lib. XXII. de Civ. Dei cap. 8.* ubi Augustinus non solum disertis verbis afferat, suo tempore in nomine Christi miracula facta esse, verùm etiam integrum catalogum nectat miraculorum ad corpora SS Martyrum editorum.

LXXIX. Verumenimverò, si dicendum quod res est, locus hic Augustini manum falsarii alicujus expertus esse videtur.

detur. Quod ut clariùs pateat, summam istius *cap. IIX.* breviter lectori benevolo exhibebimus.

XXC. Proponit Augustinus sub exordium hujus cap. quæstionem quorundam, quâ causam sciscitabantur, cur nunc non fiant miracula, quæ olim facta esse prædicabantur? Respondet ipse: posse se dicere, necessaria illa fuisse, antequam mundus crederet, ad hoc, ut crederet mundus, nunc verò, mundo credente, ea non amplius necessaria nec requirenda esse. Deinde addit, etiam suo tempore fieri miracula, sed quæ non ita illustria sint & divulgentur, quemadmodum Christi & Apostolorum miracula. Verba ipsa, ut ibi leguntur, ita habent: *Nam etiam nunc fiunt miracula in ejus* (Christi) *nomine, sive per sacramenta ejus, sive per orationes vel memorias Sanctorum ejus, sed non eadem claritate illustrantur, ut tanta, quanta illa, gloria diffamentur. Canon quippe sacrarum literarum, quem diffamatum esse oportebat, illa facit ubique recitari & memoriæ cunctorum inhærere populorum, hæc autem ubicunque fiunt, ibi sciuntur vix à tota ipsa civitate vel quocunque commanentium loco. Nam plerumque etiam ibi paucissimi sciunt, ignorantibus cæteris, maxime si magna sit civitas, & quando alibi aliisque narrantur, non tanta ea commendat autoritas, ut sine difficultate vel dubitatione credantur, quamvis Christianis fidelibus à fidelibus indicentur.* Post hæc narratur miraculum Mediolani factum, ubi cæcus ad corpora Martyrum Protasii & Gervasii visum receperit, quod dicitur ad multorum notitiam pervenire potuisse, tum ob urbis magnitudinem, tum ob Imperatoris præsentiam & testium multitudinem. Cæterùm subjunguntur plurima alia miracula Carthagine & alibi locorum edita, de quibus paucissimis admodum constiterit. Inter ea verò eminent, quæ referuntur de adolescen-

lescente ad memoriam dictorum Martyrum à malo genio liberato, de cæca muliere ad reliquias S. Stephani sanatâ, item de quinque mortuis, qui partim positi ad memoriam ejusdem Martyris, partim absentes ejus oleo uncti, aut tunica, quæ ad memoriam Martyris perlata erat, cooperti revixerunt. Hisce enumeratis additur, multa alia in promtu esse miracula, quæ, instituti ratione ita postulante, hic fuerint omissa. *Si enim*, dicitur, *miracula sanitatum, ut alia taceam, modo velim scribere, quæ per hunc Martyrem, id est, gloriosissimum Stephanum facta sunt in colonia Calamensi, & in nostra, plurimi conficiendi sunt libri: nec tamen omnia colligi poterunt; sed tantum de quibus libelli dati sunt, qui recitarentur in populis. Id namque fieri voluimus, cum videremus antiquis similia divinarum signa virtutum etiam nostris temporibus frequentari, & ea non debere multorum notitiæ deperire. Nondum est autem biennium, ex quo apud Hipponem regium cœpit esse ista memoria, & multis, quod nobis certissimum est, non datis libellis, de iis, quæ mirabiliter facta sunt, illi ipsi qui dati sunt, ad septuaginta ferme numerum pervenerant, quando ista conscripsi. Calamæ verò, ubi & ipsa memoria prius esse cœpit, & crebrius dantur, incomparabili multitudine superant.*

XXCI Hæc est summa hujus capitis, quod subinde nobis ceu Gorgonis caput objiciunt Pontificii, quando campum miraculorum prioribus seculis in Ecclesia factorum ingrediuntur. Sed cogitet mecum attentus lector, quomodo hæc cohæreant! Si enim tam grandia & illustria miracula tempore Augustini edita fuerunt, qualia modò narrata audivimus, non immeritò quis quæsierit, qui factum, quod adeò paucis, uti hic dicitur, ea innotuerint? Cui enim non cognitum est, quantus hominum confluxus

 ad

ad ejusmodi miranda & insolita opera fieri amet, quamque celeri rumore ea, obscuro licet in loco facta, longè latèque disseminari soleant? Sanè cùm Christus miracula patrabat, tantus hominum concursus erat, *ut ipsum premerent, famaq; ejus statim in totam undique regionem emanabat, Matth. IV, 23, 24. Marc. I, 28, 33, 45. III, 7, 8, 9.* Idem hodièque fieri videmus, cùm novi & insoliti quid contingit. Quæ ergò causa, quòd tot miracula, eaque non vulgaria sed eximia, in locis celeberrimis ac populosissimis, qualis Carthago fuit, in illustribus etiam personis facta adeò latuerunt, ut ne quidem incolis eorum locorum omnibus innotuerint, sed *plerumque paucissimis, ignorantibus cæteris?* Adeòne somnolenti & rerum novarum incuriosi fuerunt illius ævi homines, ut talia non curârint? Profectò qui hæc ἀσύστατα esse non videt, eum rerum humanarum valdè imperitum esse oportebit.

XXCII. Ista igitur dum mecum perpendo, facilè adducor, ut eruditissimi inter Pontificios Scriptoris Johannis Lud. Vivis & inter Reformatos Cl. Riveti sententiæ subscribam, quorum ille *comm. in h. l.* inter alia ita ait: *In hoc capite non dubium, quin multa sint addita, velut declarandi gratia, ab iis, qui omnia magnorum autorum scripta spurcis suis manibus contaminabant.* Hic verò *in Crit. sacro lib. IV. cap. 15.* monet, *in hoc capite miracula multa narrari, quæ omnia non suscipiunt exactam judicii limam, quam in aliis Augustini operibus lectores sagaces observant.* Et addit huic notæ non refragari Censores Belgicos in Indice Expurgatorio, neque Hispanos Inquisitores in suo, neque Indicem Lusitanicum anni 1624; *idque notandum esse lectori, ne semper, quæ ex genuinis autorum libris asseruntur, genuina esse putet, quod per Monachorum corruptelas non licet. Hic igitur etiam opus esse sagacitate & judicii libra.*

XXCIII.

XXCIII. Equidem, si conjecturæ locus detur, dixerim, falsarium, ut miraculis & Sanctorum reliquiis dignitatem aliquam autoritate Augustini, inter Latinos Patres maximi, conciliaret, hoc potissimum loco, quo de miraculis agit Augustinus, muscerdam suam piperi commodùm ac securè immisceri posse, existimasse. Sed minus feliciter artem veteratoriam ille didicisse videtur. Utut enim reliquum corpus omni studio abscondat, tantæ tamen auriculæ hinc inde prominent, quæ ipsum non minùs produnt, quàm unguis leonem.

XXCIV. Nam *primò* ipsa illa digressio de miraculis admodum est prolixa, & ab Augustini instituto ac ratione disserendi, quam in hisce libris de Civ. Dei observat, prorsus aliena: quod ipse ejus autor, quisquis ille fuerit, tandem animadvertisse videtur. Hinc post plurima enarrata miracula, ne digressio magis excresceret, & lectori se suspectam redderet, Augustinum narrationem suam abrumpentem introducit his verbis: *Quid faciam? Urget hujus operis implendi promissio, ut non hic possim omnia commemorare quæ scio: & procul dubio plerique nostrorum, cum hæc legent, dolebunt me tam multa prætermisisse, quæ utique mecum sciunt. Quos jam nunc, ut ignoscant, rogo, & cogitent, quam prolixi laboris sit facere, quod me hîc non facere suscepti operis necessitas cogit. Si enim miracula sanitatum, ut alia taceam, modò velim scribere, quæ per hunc Martyrem, id est, gloriosissimum Stephanum facta sunt in colonia Calamensi, & in nostra, plurimi conficiendi sunt libri.* Nempe eo fine hæc adduntur, ut credamus, copiam ingentem miraculorum fecisse, quòd solito prolixior Augustinus in iis enumerandis fuerit, quæ tot & tanta fuisse dicuntur, ut, nisi ad finem operis properandum esset, id genus plura recenseri,

 imò

imò integri libri de illis confici possent. Quanquam autem larvatus hic Augustinus narrationis suæ filum hisce verbis jam abruperat, *ad ea*, ut ipse loquitur, *quæ hoc opus urgebant, festinare compulsus*, nihilo tamen minus aliud statim miraculum de Petronia clarissima fœmina subnectit. Mox iterum narrationem claudit, dicens: *Fiunt ergo etiam nunc multa miracula, eodem Deo faciente, per quos vult, & quemadmodum vult, qui & illa, quæ legimus, fecit: sed ista nec similiter innotescunt, neque, ut non excidant animo, quasi glareâ memoriæ crebra lectione tunduntur, &c.* Rursus verò sui quasi oblitus novum coronidis loco addit miraculum de Paulo & Palladia à tremore membrorum beneficio S. Stephani liberatis. Ista autem desultoria levitas Augustini *judicio acri & exterso, ingenioq; ad miraculum acuto*, quod *in Ep. dedic.* Vives laudat, & genuina ejus scripta sapiunt, planè non convenit. Suspicor à veteratore hæc ideò ficta esse, ut crederemus, Augustinum tot miracula arcano in pectore clausa habuisse, ut, licet non semel narrandi finem fecisset, tamen, secundum illud Servatoris: *Ex abundantia cordis os loquitur*, a novorum miraculorum additione sibi temperare non potuerit.

XXCV. *Deinde* illam objectionem non levem, quam *th. XXCI.* movimus, prævidit Pseudo-Augustinus noster. Ei vero satis se occurrisse putat, quòd culpam non divulgatorum miraculorum conjicit in hominum istius seculi intempestivam taciturnitatem & negligentiam adeo supinam, ut progressu temporis libellos, quibus miracula consignata erant, in publico recitari necessum fuerit, ne homines eorum prorsus ignari essent. In exemplum illaudabilis hujus silentii adducit Innocentiam, fœminam primariam, quam Carthagine miraculosè a cancro, quem in mamilla

nulla habuit, ſanatam adeò tacitum tam grande Dei beneficium tenuiſſe ait, ut ne quidem matronis ſibi familiaribus illud indicârit. *Hoc* miraculum, inquit ſub nomine Auguſtini fabulator, *cum audiſſem, & vehementer ſtomacharer, in illa civitate atque in illa perſona non utique obſcura factum tam ingens miraculum ſic latere, hinc eam* (Innocentiam) *& admonendam & pene objurgandam putavi. Quæ cum mihi reſpondiſſet, non ſe inde tacuiſſe, quæſivi ab eis, quas fortè tunc matronas amiciſſimas ſecum habebat, utrum hoc anteà ſciſſent. Reſponderunt ſe omnino neſciſſe. Ecce, inquam, quomodo non taces, ut nec iſtæ audiant, quæ tibi tanta familiaritate junguntur? Et quia breviter ab eâ quæſiverant, feci ut illis audientibus multumque mirantibus & glorificantibus Deum, totum ex ordine, quemadmodum geſtum fuerit, indicaret.*

XXCVI. Mirum ſanè, cùm mulieres quovis turture, ut ille ait, loquaciores eſſe ſoleant, Innocentiam adeò continentis linguæ fuiſſe, ut *tam ingens miraculum* etiam matronas ſibi familiares (quibus alias dicenda tacendaque concredere fœminæ amant) clam habuerit. Parùm abeſt, quin dicam, Interpolatorem noſtrum fuiſſe monachum quempiam ineptum, morumque muliebrium non usquequaque gnarum. Magis autem mirum, ſi Innocentia adeò occultum habuit hoc miraculum, a quo Pſeudo-Auguſtinus id audiverit: ait enim, ſe, *cùm audiſſet* miraculum factum eſſe, cum Innocentia de pertinaci ſilentio expoſtulaſſe. Dicat, à Medico, cui id aperuerat Innocentia, (ut in præcedentibus habetur) ſe id comperiſſe. Sed ſi hoc verum, colligitur inde, Innocentiam non ita taciturnam fuiſſe, qualis hic depingitur. quod enim medico concredidit, probabile eſt eam magis fidei matronarum, quibus valdè familiariter utebatur,

tur, commisisse. Colligitur etiam, miraculum hoc non adeò vulgo incognitum fuisse: vero simile namque est, medicum *in illa civitate atque in illa persona non utique obscura factum tam ingens miraculum* sine mora vulgasse, & quod Pseudo-Augustino nostro narravit, aliis quoque rerum novarum cupidis narrasse.

XXCVII. *Præterea* circà illud, quod de libellis publicè recitatis dicitur, novum emergit dubium. Si enim miracula cum omnibus suis circumstantiis in publico Christianorum cœtu è libellis prælecta fuerunt, necesse est, ut in omnium notitiam pervenerint & passim locorum innotuerint. Quæ ergò causa, quòd reliqui Patres, saltem qui Augustino σύγχρονοι fuerunt, eorundem miraculorum ne verbo mentionem faciant?

XXCIIX. Respondet fabulator: *Nam & ubi diligentia est, quæ nunc apud nos esse cœpit, ut libelli eorum, qui beneficia percipiunt, recitentur in populo, semel hoc audiunt, qui adsunt, pluresque non adsunt: ut nec illi qui affuerunt, post aliquot dies quod audierunt mente retineant, & vix quisquam reperiatur illorum, qui ei, quem non affuisse cognoverit, indicet quod audivit.*

XXCIX. Profectò aut falsum dicit noster ille, aut homines eà ætate memorià & linguis caruisse oportet. Quis verò credet, homines adeò labilis fuisse memoriæ, ut tantorum miraculorum, licet semel tantùm auditorum, tam citò, *post aliquot* nempe *dies* obliti fuerint? *Memoriam ipsam cum voce perdidissemus, si tam in potestate nostra esset oblivisci quàm tacere,* scitè inquit Tacitus *præf. in vitam Agricolæ.* Cui persuadebitur, *vix quempiam* eorum, qui præsentes fuerant, absentibus amicis *indicasse, quod audierat?* Sed non fuisse eos adeò oblivïosos aut mutos, ille, quì cum nobis

bis res eſt, tandem ipſe fatetur. Narrat enim è veſtigio aliquod *miraculum,* quod *non majus,* quàm priora, *ſed tam clarum atque illuſtre* dicit, *ut nullum arbitretur eſſe Hipponenſium, qui hoc non vel viderit, vel didicerit, nullum, qui oblivisci ulla ratione potuerit.* Sin verò Hipponenſium tanta fuit curioſitas & memoria, non video, quo colore cæteris Pœnis, non ſanè craſſiori ſub aëre natis, ea denegari poſſit?

XC. Accedit, quòd nugator in hac narratione ſuâ non ſemel ſibi ipſi ſtante pede contradicat. Nam miracula ſuo tempore facta à pauciſſimis ſciri ait, *maximè ſi magna ſit civitas.* Mox verò miraculum Mediolani ad corpora Martyrum Protaſii & Gervaſii factum multis potuiſſe innoteſcere ſcribit, *quia grandis eſt civitas.* Ergò ſecundùm ipſum magnitudo urbis facit, ut miraculum divulgetur & non divulgetur. Similiter cùm de Innocentia, cujus ſuprà mentio facta, ſermo ipſi eſt, *in illa civitate* (Carthagine) *atq; in illa perſona non utique obſcura factum tam ingens miraculum latuiſſe* ſcribit. Poſteà verò miraculum de Petronia clariſſima fœmina, in eâdem urbe factum enarrans exclamat: *Clariſſima fœmina eſt, nobiliter nata, nobiliter nupta, Carthagine habitat; ampla civitas, ampla perſona rem latere non ſinunt.* Sed quid eſt propria vineta cædere & ſuo ſe indicio ſoricis inſtar prodere, ſi hoc non eſt? Nimirum *mendacem oportet eſſe memorem* vetus verbum eſt, & *ſcitè mentiri eſt ita mentiri, ne deprehendi poſſis,* ait Pſeudocheus apud Eraſmum in colloquiis. Quò autem faciliùs audaculus hic deprehendi potuit, eò majorem ſive negligentiæ ſive fraudulentiæ culpam incurrunt Bellarminus, Suarezius, Tannerus, Autor Spec. Brandeburgici, Keddius, cæterique Papæ ſputum lin-

H gen-

gentes, qui tam putidas merces pro S. Augustini pastillis nobis vendere haut erubescunt. Quas ut inposterum sibi retineant suisque obesæ naris hominibus proponant, rogo. Nobis enim hisce talibus non facilè imponent, qui dudum didicimus, quòd aliter longè catuli oleant, aliter sues.

XCI. Ut itaque concludam, videtur Augustinus per miracula suà ætate facta (modò hæc Augustini verba sint, quibus suo quoque tempore miracula fieri afferit) quæ paucissimis cognita, à plurimis verò ignorata dicit, intellexisse opera divinæ providentiæ, quæ hodiè etiam inter nos contingere nemo temerè negabit, ut quando hic vel ille præter omnium spem à graviori & desperato morbo liberatur, manifesto & imminenti periculo subducitur, &c. Hæc enim talia sunt, quæ Deo meritò accepta feruntur, nec tamen in vulgus nota sunt. Tam lato autem significatu Augustinum miraculi vocem sæpè usurpare, constat inter alia ex *lib. IX. Confes. cap. 6.* ubi inter miracula Dei numerat, quòd filio suo Adeodato tam excellens ingenium dederit, ut quindecim annorum adolescens multos graves & doctos viros superârit. Ad ista igitur singularia divinæ bonitatis ac providentiæ opera respexisse h. l. videtur Augustinus: quibus posteà insubidus forte Monachus præter ejus mentem allevit propriè dicta & eximia miracula, quæ, si facta fuissent, latere minimè potuissent.

XCII. Confirmat hanc suspicionem, quòd quæ de miraculis ad reliquias S. Stephani factis hîc narrantur, ea verbotenus reperiantur *serm. VII. de Sanctis*, quem tamen dubium esse notat Andr. Rivetus *Crit. sac. l. IV c. 16.* nec in indiculo Possidii reperiri, adeoque ambiguum esse, fatetur Pos-

Possevinus apud Rob. Cocum *in Censura Scriptorum p. 364.* Confirmant eandem aperta Augustini testimonia *th. XXXII.* adducta, præsertim verò illud ex *lib. de verâ rel. cap. 25.* quo disertè fatetur, *miracula in sua tempora durare permissa non esse.* Cum hoc verò Augustini asserto ingentem illam miraculorum copiam, quæ *c. 8. lib. 22. de Civ. Dei* memoratur, consistere non posse, palàm est.

XCIII. Dixeris, Augustinum verba, quibus negat, suo tempore miracula facta fuisse, solùm intellecta voluisse de certis miraculis, quæ Apostoli ediderunt, non verò de miraculis in genere, & speciatim locum ex *lib. de verâ rel.* productum hunc in modum explicasse *lib. 1. Retract. c. 13. Quod dixi, nec miracula illa in nostra tempora durare permissa sunt, ne anima semper visibilia quæreret, & eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum novitate flagravit: verum est quidem: non enim nunc usque, cùm manus imponitur baptizatis, sic accipiunt Spiritum S. ut loquantur linguis omnium gentium: aut nunc usque ad umbram transeuntium prædicatorum Christi sanantur infirmi, & si quæ talia tunc facta sunt, quæ posteà cessasse manifestum est. Sed non sic accipiendum est, quod dixi, ut nunc in Christi nomine fieri miracula nulla credantur. Nam ego ipse, quando istum ipsum librum scripsi, ad Mediolanensium corpora Martyrum in eâdem civitate cæcum illuminatum fuisse jam noveram, & alia nonnulla, qualia tam multa etiam istis temporibus fiunt, ut nec omnia cognoscere, nec ea, quæ cognoscimus, enumerare possimus.*

XCIV. Verumenimverò etiam hæc glossa à mirabiliarii cujusdam magis quàm Augustini manu videtur profecta esse. Nam 1. Augustinus *lib. de verâ Rel.* miracula in sua tempora non perdurasse dixerat, hanc ob causam, *ne animus semper visibilia quæreret, & eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum novitate flagravit.* Hæc verò ratio satis indicat, eum loquutum fuisse, non de certis quibusdam miraculis, puta de dono linguarum tempore Apostolorum ad manus impositionem baptizatis concesso, aut de sanatione infirmorum beneficio umbræ Apostolorum peracta, &c. (quemadmodum hæc glossa vult) sed de miraculis in genere. Nam si quædam tantùm tempore Apostolorum usitata miracula cessasse, alia tamen eaque satis illustria, nempe mortuorum resuscitationem, cæcorum illuminationem, &c. in magna etiam copia suo tempore fieri concessisset Augustinus, tum utique periculum adhuc fuisset, *ne animus semper visibilia quæreret, & eorum consuetudine frigesceret genus humanum, quorum novitate flagravit.* Hanc autem ob causam desiisse suâ ætate miracula dixerat Augustinus. Necesse igitur est, eum de omnibus in universum miraculis propriè dictis loquutum fuisse, cùm ea cessasse scripsit. Taceo, quòd *d. l.* apertè majores posteris contradistinguit, & de illis affirmat, quòd *visibilia miracula* (hæc verba generaliora sunt, quàm ut ad certa quædam Apostolorum miracula restringi queant) sequuti sint; his verò dicit ea non esse necessaria, cùm Ecclesia Catholica per totum terrarum orbem jam diffusa sit. Verba ipsa *th. XXXII.* legenda proposita sunt, quò lectorem remittimus. 2. quæ de tam

mul-

multis miraculis Augustini ævo patratis hîc annectuntur, *ut nec omnia cognosci, nec cognita enumerari potuerint*, ea, nisi me omnia fallunt, ex eadem pharetra deprompta sunt, ex qua illa, quæ *capiti 8. lib. 22. de Civ. Dei* præter Augustini mentem intrusa diximus; certè eidem difficultati obnoxia sunt, quam suprà *th. XXCI.* tetigimus.

XCV. Possem benevolo lectori videri extrà chorum saltasse, & loco Augustini vindicando diutiùs, quàm par erat, inhæsisse. Verùm cùm locus iste apud Scriptores Papæ causam agentes in hac materia utramque paginam faciat, & incauto lectori facilè imponere possit, de eo tantum hîc monere visum fuit.

XCVI. Solent præterea illi ex dialogis Gregorii, ex Beda item, & Sanctorum legendis (quas vocant) deploratæ causæ suæ aliquod præsidium petere. Sed cui ignotum est, Gregorium & Bedam veris multa fabulæ propiora admiscuisse? Cocus sanè *in Censura p. 417.* materiam dialogorum Gregorii *valde fabulosam, valde ridiculam* esse dicit, idque plurimis exemplis ibidem ostendit. Centuriatores Magdeb. *Cent. VI. c. 10. col. 678.* apertè scribunt, *miracula patrum*, quæ in dialogis suis Gregorius enarrat, *pleraq; aut fabulosa esse, aut manifestè impia, nec obscurè falsam speciem religionis præ se ferre*. Casaubonus *Ex. XVI. ad an. Baron. n. CII.* Bedæ quidem pietatem & zelum promovendæ religionis suspicit & veneratur: at facilitatem in credendis multis, quæ priora secula non crediderant, admodum suspectam se habere profitetur. Similia vide apud Jo. Dallæum *l. 1. de usu patrum c. 3.* τὸ φιλόμυθον enim *&* τὸ κενόσπουδον *duo illa vitia historiam Ecclesiasticam miris modis depravarunt.*

conquerente Casaubono *Ex XIII. n. 6.* Nec poterunt Pontificiis incognita esse, quæ hanc in rem benè monet ipsorum Canus, insignis Theologus, quique unus ex Tridentinis Patribus fuit, *lib. XI. LL. Theol. cap. 6. Negare non possumus*, ait ille, *Viros aliquando gravissimos, in divorum præsertim prodigiis describendis, sparsos rumores & excepisse, & scriptis etiam ad posteros retulisse. Quâ in re, ut mihi quidem videtur, aut nimium illi sibi, aut fidelium certe vulgo indulserunt, quòd vulgus sentiebant non tantùm ea facile miracula credere, sed impense etiam flagitare. Itaque signa nonnulla & prodigia sancti quoque memoriæ prodiderunt, non quod ea libenter credidissent, sed ne deesse fidelium votis viderentur — Nec ego hic libri illius auctorem excuso, qui speculum exemplorum inscribitur; nec historiæ etiam ejus, quæ legenda aurea nominatur. In illo enim miraculorum monstra sæpius, quàm vera miracula legas; hanc homo scripsit ferrei oris, plumbei cordis, animi certè parum severi & prudentis. Veteres excuso & sanctos & eruditos Viros, quorum & libros & nomina volentem asscribere pudor me ac religio vetaret, nisi contrà vererer, ne mea hæc taciturnitas plerisque causa esset, ut aut damnarent, quæ non intelligerent, aut errore vario circùm sanctorum omnium historias vagarentur. Atque Theologum etiam admoneri operæ pretium est, ne id statim illi persuasum sit, omnia, quæ magni auctores scripserint, undique esse perfecta. Nam & labuntur aliquando, ut ille ait, & oneri cedunt: & indulgent ingeniorum suorum voluptati, vulgoque, ut dixi, interdum indulgent: nec semper intendunt animum, & nonnunquam fatigantur, adeò, ut Ciceroni Demosthenes dormitare,*

Ho-

Horatio verò Homerus quandoque ipse videatur. Summi enim sunt, homines tamen. Quæ ego eadem de Beda atque Gregorio jure fortaßè ac verè dicere poßum. Quorum ille in Historia Anglorum, hic in dialogis quædam miracula scribunt vulgò jactata & credita, quæ hujus præsertim seculi Aristarchi incerta esse censebunt. Equidem historias illas probarem magis, si earum auctores severitati judicii curam in eligendo majorem adjunxissent. Hæc ille, cujus limato judicio meritò, ut speramus, nobiscum acquiescent, quotquot inter Pontificios Cani similes id est prudentiores sunt: reliquos enim, qui nondum nugari desierunt, non est quòd magnoperè curemus.

XCVII. Denique, ut probent, ultimis hisce temporibus in Ecclesia Romana facta esse & etiamnum fieri plurima miracula, ablegant nos in Indiam, ubi à Francisco Xaverio, Indiarum Apostolo dicto, maxima miracula edita narrantur; vel, si India nimis remota nobis videtur, ad Divam Virginem Lauretanam, Ottingensem, Brandisianam, Cellensem, Sichemiensem & Hallensem, cujus in singulis hisce locis patrata miracula passim decantata literis etiam consignarunt Franc. Turrianus *libr. adversùs Vergerium* Horatius Tursellinus *in Hist. Lauretana*, Martinus Eisengrinius *in libello de Diva Ottingensi*, Justus Lipsius *in Diva Virgine Hallensi*, & *in Diva Sichemiensi sive Aspricolli.*

XCIIX. Sed quod ad Xaverium attinet, non præter causam mirantur viri docti, cur, si potestate miracula edendi polluit, donum linguarum, quod ad conversionem infidelium vel maximè necessarium erat, denegatum ei fuerit;

Ep. 5. ita scribens: *Si nos linguam calleremus Japonicam, non dubito quin plurimi fierent Christiani. Faxit Deus, ut brevi eam addiscamus, tum demum aliquam Christianæ rei navabimus operam; nam nunc quidem inter eos tanquam mutæ statuæ versamur, multa enim illi de nobis & dicunt & agitant, ad quæ nos scilicet obmutescimus, patrii ipsorum sermonis ignari.* Mirantur etiam, cur Xaverius in Epistolis, quas de rebus Indicis conscripsit, de miraculis suis magis mutus sit quàm piscis. Mirantur denique, quòd tanta miracula apud Indos Orientales, in nostro continente degentes, nulla autem apud Indos Occidentales sive Americanos facta sint, cùm tamen hi, quippe à nobis rerumque nostrarum notitia remotiores, magis illis indiguisse videantur.

XCIX. Quæ verò de miraculis ψευδοπαρθένου Lauretanæ, Hallensis, Aspricollis, &c. non solùm loquuntur, sed & scribunt Jesuitæ, cæterique, quos Romana illa Siren incantavit, ea fortè fidem apud nos invenirent, si eo essemus ingenio, quo fuit Sacerdos ille, cui, Cano teste *lib. XI. LL. Th. c. 6. persuasissimum erat, nihil omnino esse falsum, quod semel typis fuisset excusum.* Sed benè novimus, ea miraculorum figmenta dudum à viris doctis fuisse explosa, inprimis verò à Petro Paulo Vergerio, Clementis VII. Pontificis quondam in Germaniam Legato, nostram posteà religionem amplexo, & post ipsum à Matthiâ Berneggero *in Hypobolimæa D. Mariæ Deiparæ Camera sive Idolo Lauretano dejecto*, & Georgio Thomsono, Scoto-Britanno, *in Indice veritatis adversùs Lipsium lib. posteriori.*

C. Hos

C. Hos & alios qui leget, sumptibus, scio, parcet, si sapit, neque facilè ad loca illa, superstitionis potiùs quàm miraculorum plena excurret; multò autem minùs in Indiam ad exploranda Xaverii miracula navigabit. Nobis sanè, quibus dictum Servatoris: *Nolite exire, nolite credere*, scriptum est in animo, eousque provehi neque lubet neque vacat. Vela igitur contrahimus, & in tutiorem, quem Augustinus toties nobis monstrat, portum cymbam nostram cogimus. *Dominus noster*, inquit ille *lib. de unit. Eccl. c. 10. præmunire voluit aures nostras adversùs eos, quos procedentibus temporibus exurrecturos esse prædixerat, & dicturos: Ecce hîc Christus, ecce illic. Quibus ne crederemus admonuit. Nec ulla nobis excusatio est, si crediderimus contrà vocem Pastoris nostri tam claram, tam apertam, tam manifestam, ut nemo vel obtusus & tardus corde posset dicere, non intellexi.* Et *c. 16. Robusta, & firma veritate subnixa documenta, quibus causam suam tueantur, invenire non possunt, & volunt videri aliquid dicere, dum tacere erubescunt, & inania loqui non erubescunt. Remotis ergò omnibus talibus, ecclesiam suam demonstrent si possunt, non in sermonibus & rumoribus, non in conciliis episcoporum suorum, non in literis quorumlibet disputatorum, non in signis & prodigiis fallacibus, quia etiam contrà ista verbo Domini præparati & cauti redditi sumus; sed in præscripto legis, in Prophetarum prædictis, in Psalmorum cantibus, in ipsius Pastoris vocibus, in Evangelistarum prædicationibus & laboribus, hoc est, in omnibus canonicis sanctorum librorum authoritatibus. Nec ita, ut ea colligant & commemorent, quæ obscurè vel ambiguè vel figuratè dicta sunt, quæ*

quæ apertissimè dicta sunt, firmâ fide teneantur. —*Omissis ergò morarum tendiculis, ostendant ecclesiam vel in solo* Papatu *perditis tot gentibus retinendam , vel ex* Papatu *in omnibus gentibus reparandam atque adimplendam; & sic ostendant, ut non dicant.* —*Ideò verum est, quia illa & illa mirabilia fecit Donatus vel Pontius,* (Diva Lauretana, Hallensis, Aspricollis, Dominicus, Franciscus, Xaverius) *vel quilibet alius , aut , quia homines ad memorias mortuorum nostrorum orant & exaudiuntur , aut quia illa & illa ibi contingunt , aut quia ille frater noster , aut illa soror nostra tale visum vigilans vidit , vel tale visum dormiens somniavit. Removeantur ista vel figmenta mendacium hominum,vel portenta fallacium Spirituum: aut enim non sunt vera quæ dicuntur , aut si hæreticorum aliqua mira facta sunt , magis cavere debemus: quòd cùm dixisset Dominus, quosdam futuros esse fallaces, qui nonnulla signa faciendo etiam electos , si fieri posset, fallerent , adjecit vehementer commendans & ait, Ecce prædixi vobis. Unde & Apostolus admonens. Spiritus autem manifestè dicit , quia in novissimis temporibus recedent quidam à fide , intendentes Spiritibus seductoribus , & doctrinis dæmoniorum* — *De visis autem fallacibus legant quæ scripta sunt , & quia ipse Satanas transfigurat se tanquam angelum lucis , & quia multos seduxerunt somnia sua; audiant etiam, quæ narrent Pagani de templis & diis suis mirabiliter vel facta vel visa , & tamen dii gentium dæmonia , Dominus autem cœlos fecit.*—*Ad ipsam verò salutem ac vitam æternam nemo pervenit, nisi qui habet caput Christum. Habere autem caput Christum nemo poterit , nisi qui in ejus corpore fuerit, quod est Ecclesia, quam sicut ipsum caput in scripturis sanctis canonicis debemus agnoscere, non in variis hominum*

rumoribus & opinionibus, & factis & dictis & visis inquirere.—Utrum ipsi Ecclesiam teneant, non nisi divinarum scripturarum canonicis libris ostendant.—Hæc sunt causæ nostræ documenta, hæc fundamenta, hæc firmamenta. Legimus in Actibus Apostolorum dictum de quibusdam credentibus, quòd quotidie scrutarentur scripturas, an hæc ita se haberent. Quas itaque scripturas, nisi canonicas legis & prophetarum? Huc accesserunt Evangelia, Apostolicæ Epistolæ, Actus Apostolorum, Apocalypsis Johannis. Scrutamini hæc omnia, & eruite aliquid manifestum, quo demonstretis, Ecclesiam in solo Papatu *remansisse—Sed aliquid proferte, quod non egeat interprete, nec unde convincamini, quòd de alia re dictum sit, & vos illud ad vestrum sensum detorquere conemini.—Si autem non potestis, quod tam justè à vobis flagitamus, ostendere, credite veritati, conticescite, obdormiscite, à furore expergiscimini ad salutem.* Rursus *l. II. de serm. Domini, circà finem: Illud ad rem maximè pertinet, ne decipiamur tendentes ad contemplationem veritatis, non solum nomine Christi, per eos qui nomen habent, & facta non habent, sed etiam quibusdam factis atque miraculis. Dominus enim monuit, ne talibus decipiamur arbitrantes ibi esse invisibilem sapientiam, ubi miraculum visibile viderimus—Legat quis, quæ ipse Dominus dicit de Pseudoprophetis: Tunc si quis vobis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic, nolite credere: surgent enim Pseudochristi & Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem ducantur etiam electi: ecce prædixi vobis: Quàm ergò mundo & simplici oculo opus est, ut inveniatur via sapientiæ, cui tantæ malorum & perversorum hominum deceptiones erroresq; obstre-*

Pl. Reverendo Clarissimoque

Viro

DN. M. SEBASTIANO NIEMANNO, LUBECENSI,

Qvum

DE MIRACULIS

PUBLICE ET PRO SUMMIS IN THEOLOGIA HONORIBUS CONSEQUENDIS

IN ACADEMIA JENENSI

PRID. KL. FEBR. ANNO M.DC.LV.

DISPUTARET,

EX ANIMO GRATULANTUR

CONVICTORES.

CUm ſua deſperent aliter ſe poſſe tueri
Vana reperta Itali, &, quæ plurima falſa Tonantis
Aſſuit indubio verbo male-credula turba,
Qui ſapiunt metuuntque DEUM, diſcernere norint,
En quid agant! quæque afflictis ſiet ultima rebus
Spes ſuper! Admiranda crepat, portentaque jactat
Prodigioſa cohors, de ſe ſi creditur ipſi.
Et bene, quòd removet teſtes, quòd diſſita longè,
Quòd peregrina citat, ne ſe ſibi proderet ipſa.
Nam vel in extremis ea facta leguntur Iberis,
Aut apud Æthiopas alio ſub ſole calentes,
Nilus ubi pariter ſeſe confundit & iſta,
Unde aderit nemo, qui teſtis dicta refutet.
Si licet innumeras Italorum evolvere fraudes,
Inſidiæque dolique patent ab origine primâ,
Muſa rogata refer, quando hæc dementia cepit?
Quis furor hos agitet, mentemque effaſcinet ipſam?

An

An ſceleri monſtravit iter male-ſuada ſuperbi
Pectoris ambitio? dum recto tramite honores
(Quos virtute decet meritisque ambire ſtupendis)
Deſperant, greſſumque ferunt anfractibus iſtis?
An quia ſacra fames, & opum imperioſa libido
Exſtimulat clerum, ſurgunt tanto agmine nugæ?
Scilicet ex imo manes Acherunte cientur,
Nocturnos fingunt lemures animasque vagantes,
Luſtrali quas ſolus aquâ magicisque ſuſurris
Inſubidus ſtatim Monachus compeſcit & arcet.
Aut etiam miſeras torquent Cacodæmones umbras
Ardenti in furno, aut purganti fortè favillâ;
Quas tamen, ô certè mirum! vel charta repentè
Bullata exſtinguet, vel rancida Miſſa levabit.
Fallimur aut hæc ſunt, quæ vulgo retia tendunt,
Quæque dolos peperêre atque hæc miracula falſa.
Tantum relligio potuit ſuadere malorum!
Nos quibus eſt naſus, queis lævâ in parte mamillæ
Plus ſalit, hæc præeunte DEO magnoque Luthero
Romanæ dudum ridemus ſomnia turbæ,
Et vetulis credenda damus; Semuncia mentis
Hiſce ſuper ſit quæſo viris? quin protinus ille
Naviget Anticyras, hæc qui deliria credat,
Dummodo ſufficiat ſtolido, quod naſcitur iſthic.
Ite leves nugæ, miracula vana valete,
Ite, ſat eſt, dudum mentes tenuiſtis aniles,
Et quamvis avidas (bona vectigalia) dextras
Pontificis ſaturaſtis, opum nunc claudite rivos.

Fortè olim, quando tenerum pietatis ovile
Surgit, & in cunis Ecclesia vagiit infans,
Hôc opus auxilio, & nascentia sacra fovenda;
Nunc ubi facta fides, atque illa valentior ætas
Successit, solidæque suo stant robore vires,
Abnuit illa DEUS, neque defensoribus istis
Tempus eget. quæ visa olim, nunc credere fas est.

Te verò, qui certa doces discernere falsis,
NIEMANNE, & monstras, quid distent æra lupinis,
E cathedrâ & scripto, quonam TE carmine nostra
Musa canet, clarumque feret super æthera nomen?
Dum latebras fraudumque aperis miracula, certè
Quod stupeamus habes; & sunt miracula vera
Ingenii cœlestis opes, & mellea fandi
Copia, & adductæ magnum rationis acumen.
Ni pudor in faciem TE dilaudare vetaret,
Oraque sufficerent virtuti exilia tantæ,
Non ea carminibus nunc esset (crede) tacenda.
Olim quando suis TE sancta Ecclesia rebus
Admovet, uberiore tubâ resonare licebit.

FINIS.



